CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
EDITUM CONSILIO
UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE
ET UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

Vol. 40

SCRIPTORES AETHIOPICI

TOMUS 23

APOCRYPHA DE BEATA MARIA VIRGINE

INTERPRETATUS EST

M. CHAINE, S.I.

LOUVAIN
SECRÉTARIAT DU CORPUSSCO
49, CH. DE WAVRE
1961

RÉIMPRESSION ANASTATIQUE

SCRIPTORES AETHIOPICI

SERIES PRIMA — TOMUS VII

APOCRYPHA DE B. MARIA VIRGINE

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

CURANTIBUS

I.-B. CHABOT, I. GUIDI

H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

SCRIPTORES AETHIOPICI

VERSIO

SERIES PRIMA — TOMUS VII

APOCRYPHA DE B. MARIA VIRGINE

INTERPRETATUS EST M. CHAINE. S. I.

ROMAE
EXCUDEBAT KAROLUS DE LUIGI

PARISIIS
CAROLUS POUSSIELGUE BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE: OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCIX

I

LIBER NATIVITATIS MARIAE.

INTERPRETATUS EST

MARIUS CHAINE.

Opusculum quod inscribitur *Liber Nativitatis Mariae*, saepe etiam *Protoevangelium Iacobi* dicitur, iam dudum eruditis viris notum est. Fabricius illud latine edidit [1], graece Tischendorf [2], syriace Wright [3]. Sed textus aethiopicus, pariter ac arabicus [4], hucusque in publicam lucem non prodiit. Quid autem discriminis sit inter editos textus et recensionem aethiopicam, facili negotio ab ipsa editione aut versione nostra animadvertet lector diligens; ceteroquin cl. v. H. Zotenberg [5], iam praecipuas differentias inter textum graecum et aethiopicum notavit.

In adornanda nostra editione duobus codicibus usi sumus, in Bibliotheca Nationali Parisiensi asservatis, nempe cod. aethiop. 53 et 131. Eorum descriptionem dedit Zotenberg, *Catalogue des Manuscripts éthiopiens de la Bibliothèque nationale*, p. 57, 196.

Beryti, kal. ianuar. anni MDCCCCVII.

M. C.

[1] *Codex apocryphus Novi Testamenti*, p. 66 et seqq.

[2] *Evangelia apocrypha*, p. 1 et seqq.

[3] *Contribution to the apocryphal literature of the New Testament*, p. 1 et seqq.

[4] Eum continent codd. Parisienses syr. 232, 238, syriacis litteris sed arabica lingua exarati, et codd. arabici 147 et 262; aliique alibi.

[5] *Catal. des Mss. éthiopiens*, p. 57-58.

INCIPIAMUS, CUM AUXILIO DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, CONSCRIBERE LIBRUM NATIVITATIS MARIAE DOMINAE NOSTRAE, MATRIS DEI SANCTAE.

Erat quidam homo e duodecim tribubus filiorum Israel, cui nomen Ioachim, e stirpe David. Valde dives erat et cum sacrificium Domino offerebat, duplex illud faciebat. Nemo erat qui faceret sicut ille ex filiis Israel. Ipse enim secum reputans dicebat: « Hoc sacrificium meum sit pro omnibus filiis Israel, ut eis condonet Dominus omnia delicta eorum ». At cum advenisset festum Iudaeorum, obtulerunt omnes filii Israel sacrificia sua et adiit Ioachim quidam ex illis cui nomen erat Robel, dixitque ei: « Non te decet oblationes offerre ante nos, nam tibi semen non est in Israel ». Et Ioachim audiens haec verba, valde contristatus est et coepit cogitare intra se sic dicens: « Ecce, omnes filii Israel posteritatem habent et liberos, ego vero non habeo ». Et inde recogitabat de iustis et bonis viris, quod nempe progeniem et liberos habuerunt; tum Abraham proavi nostri meminit; consideravit dedisse Dominum illi in senectute filium quem vocavit Isaac; et moestus factus est, nihilque dixit uxori suae de moestitia sua aut de verbis Robel.

Abiens autem secessit in desertum, coram Domino ieiunans per quadraginta dies et quadraginta noctes. Dixerat enim in mente sua: « Non immittam cibum in corpus meum donec exaudiverit Dominus orationem meam; petitio quidem mea erit mihi cibus et potus ». Interea uxor illius coepit flere et ingemiscere; orabat et invocabat Dominum ut sibi daret filium et sic opprobrium suum tolleret. Cum autem advenisset festi- p. 4.
vitas magna, adfuit apud Annam mulier quaedam ex eius vicinis quae dixit illi: « Quousque tristitiam in animam tuam conscendere sines et temetipsam cruciabis hac tristitia? Ecce dies festivitatis advenit, propterea quidem nimis lugere minime te decet. At sume hanc vestem quam dedit mihi magister meus et indue teipsam: est enim una ex vestibus regalibus, et te decet illam induere ». Respondit Anna: « Recede a me, non enim eam induam propter magnam aegritudinem [quia non habeo] liberos;

quis novit an non amasius tuus tibi hanc vestem dederit? visne me tecum consociare in peccato tuo? ». Respondit illa mulier dixitque Annae: « Bene quidem fecit Dominus cum clausit uterum tuum ut non haberes filium neque prolem in filiis Israel ». Audiens Anna haec verba, tristata est tristitia magna et deinde cito surgens, deposuit vestimenta, seque abluit et vestes pulchras induit. Et cum diei hora nona esset, exiit Anna in templum ut oraret, et cum incederet in via, vidit arborem altam in qua aves cum pullis suis erant, dixitque tunc Anna: « Benedic illis, Domine, multiplica eas valde, sed audi orationem meam et annue petitioni meae: benedic mihi sicut benedixisti utero Sarae cui dedisti filium in senectute eius ». Erigens deinde oculos ad caelum, coepit ingemiscere et flere dicens: « Hei mihi! cui comparabor? possumne cum ave comparari? Aves vero pullos habent; hei mihi! cui comparabor? possumne comparari cum animalibus et bestiis? sed animalia et bestiae pullos habent; hei mihi! cui comparabor? possumne comparari cum terra? at terra quidem fructus habet ». Et dum sic flet et lamentatur in caelum adspiciens, subito de caelo angelus descendit stetitque coram illa et dixit: « Ecce iam Dominus exaudivit orationem tuam et suscepit petitionem tuam; tu quoque gravida es ». Et dixit Anna: « Si unquam Dominus meus et Deus meus filium dederit mihi, tradam illum Domino
p. 5. et illum ponam in templo Domini omnibus diebus vitae suae ». Dixitque ei angelus: « Ecce Ioachim coniux tuus e deserto redit cum haedo, sume hunc et manduca ». Ivit deinde angelus Domini ad Ioachim dixitque ei: « Ecce iam Dominus audivit orationem tuam et suscepit petitionem tuam: uxor tua Anna concepit ». Et cum haec verba audiisset laetatus est Ioachim laetitia magna gratiasque egit Domino Deo, et, advocatis pastoribus ovium suarum, dixit eis: « Adducite mihi duos agnos in sacrificium oblationis Domino Deo meo, boves quoque duodecim adducite ad sacrificium in templum Domini, et pro festivitatis cena adducite octo agnos » et, sicut eis mandaverat, ita fecerunt. Et *ea* attulit Ioachim et pastores gregis eius cum eo. Surrexit vero Anna stetitque ante portam domus et cum coniugem suum ad se venientem vidisset, accurrit ad illum et amplexata est collum eius eique dixit: « Num nescis misericordem et clementem Dominum mihi se praebuisse; mihi ille benedixit benedictione

magna, nam quae erat sterilis, inde ab hoc tempore n. sterilis aut talis quae filios non habeat ».

Ioachim autem ingressus domum, requievit illo die; et crastino exsurgens, oblationem sumpsit secum, et cogitans in corde suo dixit: « Si vere a me Dominus sacrificium susceperit, ecce in diademate quod invenitur in templo videbo faciem meam ». Erat enim in templo positum super altare diadema, cum autem aliquis ex filiis Israel offerebat sacrificium quod Deus suscipiebat, apparebat facies eius qui sacrificium obtulerat, sicut in speculo; si vero non acceptum fuerat sacrificium, non apparebat eius facies in illo diademate. Cum igitur sacrificium suum obtulisset Ioachim, visionem faciei suae in diademate observavit tumque dixit: « Ecce nunc scio quod Dominus misertus est mei et exaudivit orationem meam et mihi dedit prolem ». A templo Dei deinde revertit Ioachim et abiit domum in gaudio et exultatione, et laudabat et celebrabat Dominum Deum. p. 6.

Et quum completi essent Annae menses novem, filiam peperit dixitque Anna obstetrici: « Quid peperi? ». Illa autem ei respondit: « Filiam peperisti ». Et Anna tunc dixit: « Glorificat hodie anima mea Dominum », et vocavit nomen huius filiae Mariam. Et expletis quadraginta diebus, Anna sese abluit et induit vestem et mammam praebuit filiae. Cum vero sex menses explevisset infans, deposuit eam *mater* eius humi, ut experiretur num illa pedibus suis ambularet. Et infans ivit per septem passus pedum suorum et in gremium matris suae reversa est. Et dixit Anna: « Vivit Dominus *iuro* quia huic puellae non permittam super terram deambulare prius quam in templum Domini illam adducam ». Postea parvum habitaculum pro illa exstruxit atque in eo collocavit eam, donec annum unum attingeret. Tunc magnum convivium paravit Ioachim; sacerdotes et seniores filiorum Israel, duces et principes eorum ad illud convocavit et omnibus illis epulas constituit. Deinde ad sacerdotes Ioachim filiam suam adduxit, qui omnes illi benedixerunt dicentes sic: « Dominus Deus noster benedictionem det huic parvulae, det illi fortitudinem et virtutem et nomen magnum in saeculum saeculi. Amen ». Et dixit omnis populus: « Amen, Amen ». Postea adduxerunt illam ad seniores et principes populi et omnes nominatim benedixerunt ei et dixerunt: « Dominus Deus patrum nostrorum, Deus Abraham, Isaac et Iacob, qui habitat in

caelo, benedicat huic puellae benedictione magna quae ab ea non recedat ». Et mater ipsius eam suscepit, et postquam eam reduxit in cellam quam ei aedificaverat, dixit Anna: « Cantabo Domino in cantico sancto, ecce benedicam ei et laudabo eum, eum celebrabo et exaltabo quia abstulit a me opprobrium et ignominiam deditque mihi prolem inter filios Israel ». Convivio peracto, surrexerunt et abierunt domum suam, cum
p. 7. gaudio et laetitia, gratias agentes Deo Israel. Cum vero esset duos annos nata puella, dixit Ioachim: « Introducamus eam in templum Domini secundum votum quod prius emisimus, ne forte Dominus irascatur nobis ». Respondit Anna mater: « Expecta usquedum erit illi tertius annus, ne forte desideret patrem et matrem ». Expleto autem tertio anno, Ioachim convocavit puellas Hebraeorum immaculatas et tradidit unicuique lampadem ceream, et abierunt omnes praecedentes Mariam et introduxerunt illam in templum. Recepit eam sacerdos benedixitque ei dicens: « Glorificet nomen tuum Dominus illo die quo ex te apparebit ».

Postea susceperunt eam sacerdotes et constituerunt illam super tertium gradum templi, et illi benedixerunt sacerdotes et principes omnesque filii Israel, et Dominus ei magnum gaudium attulit. Deinde parentes eius et familia redierunt domum, cum gaudio magno Dominum Deum glorificantes et laudantes, quod non conversa esset retrorsum cum ducerent eam ad templum. Maria autem in templo Domini sicut pura columba mansit, cotidie vero angelus Domini cibum ei de caelo demittebat. Postquam annos duodecim attigit Maria, convenerunt magnates et sapientes filiorum Israel dicentes: « Ecce iam Mariae completi sunt duodecim anni in templo Domini, timemus vero ne hic menstruis laboret ». Et abierunt deinde ad sacerdotem Zachariam dixeruntque illi: « Vade in templum Domini et ora coram Domino Deo tuo, ut tibi indicet quid nobis de puella faciendum sit. Audi quod Deus tibi dicet, ut id ei faciamus ». Tunc Zacharias surrexit et intravit in secretum sancti sanctorum et elevans mentem ad Dominum oravit dicens: « Dominus meus et Deus meus, adiutor meus salvatorque meus, te rogo, te obsecro, indica mihi quid nobis circa hanc puellam agendum sit ». Et
p. 8. eo tempore descendit e caelo angelus Domini et stetit coram Zacharia, dicens: « Zacharia, ex omnibus filiis Israel convoca

omnes viros qui uxorem non duxerunt; afferant singuli virgam et ille cuius in virga signum apparuerit, scito decere ut puellam suscipiat. Da huic illam et custodem illius constitue eum ». Et cum Zacharias sacerdos haec verba audivisset, exivit foras e templo et propter hanc rem, per universam Iudae regionem praeconem misit. Hoc autem audito nuncio, Ioseph lignarius e manibus securim abiecit et in templum venit cum ceteris viris. Cum congregati essent coram Zacharia sacerdote, hic virgas acceptas ab eis posuit in templo et oravit et mentem erexit coram Domino. Completa oratione, sumpsit secum virgas forasque illas retulit reddidit unicuique eorum. Ultima virga quae remansit ad Iosephum pertinebat. At cum Zacharias sacerdos illam huic redderet, ecce columba exiit de virga, quae stetit in capite Iosephi. Tunc ad eum Zacharias dixit: « Tu es quem elegit Dominus et posuit custodem super illam sanctam virginem. Accipe eam ex hac hora et custodi illam ». Respondit Ioseph dicens: « Zacharia, quomodo possum illam sumere? ego enim sum senex et longaevus, ipsa autem puella ad matrimonii aetatem pervenit; si forte hanc accepero, opprobrium erit super me inter omnes filios Israel ». Dixit ei Zacharias sacerdos; « Cave Ioseph, ne irascatur tibi Dominus; recordare quae fecerit erga Coreh et Datham et Abiron, quomodo aperta sit terra devoraveritque illos vivos, quia praevaricati sunt et mandata Domini Dei audire noluerunt. Nunc cave tu, Ioseph, ne tibi eveniat quod illis accidit ». Ioseph autem his verbis auditis ex ore Zachariae, correptus est magno timore et suscipiens puellam apud se, dixit illi: « Maria, ecce, te accipio de templo Domini. At vero ego abire debeo in peregrinationem et iam nunc tempus advenit; tu autem nunc serva teipsam usquedum redeam
ad te; rogo Dominum Deum ut te custodiat maneatque tecum ». p. 9.

Congregati sunt deinde sacerdotes filiorum Israel, ut velum fabricarentur pro templo Domini; et dixit eis Zacharias sacerdos: « Adducite mihi octo filias virgines immaculatas de stirpe David ». Et adduxerunt ei sicut praeceperat septem filias et meminit sacerdos ipsius Mariae; nam sciebat illam puram esse, eamque arcessivit. Ubi Maria advenit, praecepit Zacharias ut illae virgines adessent coram se et dixit eis: « Sortes coniicite inter vos, et quae sorte designata fuerit veli pro templo Domini lanam purpuream nebit ». Et fecerunt sicut iusserat eas

angelus *quidam*, et sortes inter se coniecerunt et cecidit sors super Mariam. Tunc illa lanam purpuream accepit et recessit in domum suam. Eo autem tempore mutus factus est sacerdos Zacharias; loco eius constitutus est sacerdos Samuel, et mansit hic sacerdotii officio fungens usquedum descendit angelus Domini et solvit vinculum linguae Zachariae. Postea coepit Maria fila deducere byssi.

Quodam die, cum iret Maria ad hauriendam aquam de cisterna Nazareth in urbe David, ecce misit Dominus angelum Gabriel ad eam. Dixitque ei Angelus: « Salus sit super te, o Maria sancta et pura, Dominus enim benedixit tibi. Ille est tecum et tu invenisti gratiam apud eum. Exaltaberis magis quam omnes mulieres quae creatae sunt in mundo ». Audiens haec verba Maria, se convertit dextrorsum et sinistrorsum, ut videret quis secum loqueretur, sed neminem prorsus vidit; propterea correpta est timore magno et relicta hydria confugit domum et cepit purpurae deducere fila. At venit iterum angelus Domini ad eam dicens: « Noli timere, Maria; ecce enim invenisti gratiam apud Dominum magnamque laetitiam; tu vero gravida es virtute verbi Domini et Spiritus sancti ». Respondit Maria dicens: « Quomodo hoc mihi fiet, siquidem virum non cognosco? ». Dixitque ei angelus: « Scito vero, Maria, te non parituram sicut pariunt mulieres, sed Spiritus sanctus tantum veniet super te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ille vero
p. 10. [qui ex te nascetur] sanctus est, vocabitur filius Altissimi et nomen eius erit Iesus; ille salvabit populum suum a peccatis ». Respondit Maria et dixit angelo: « Ecce, ego ancilla sum Domini, spiritus meus est in manibus eius. Ille faciet de me quid voluerit, et fiat sicut mihi dixisti ».

Deinde, postquam complevit fila purpurae deducere, attulit velum Zachariae sacerdoti, qui illud accepit ab ea; benedixit ei dicens: « Maria, ecce exaltabit Dominus nomen tuum, benedicta enim es tu prae ceteris mulieribus quae sunt in mundo ». Et Maria cum audivisset haec verba, laetata est gaudio magno gratiasque egit Domino. Recedens a Zacharia sacerdote, abiit domum Elisabeth, sororis patris sui. Elisabeth autem Mariam audiens venisse ad se, processit ad aperiendam domus suae portam et rogavit Mariam et dixit: « Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Cum audirem vocem tuam cum me salutares

exultavit infans in utero meo, cum gaudio et exultatione, eumque adoravit qui est in sinu tuo ». Audiens haec verba Maria ab Elisabeth, sustulit oculos in caelum et dixit: « Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo meo et salvatore meo, quia respexit dolorem ancillae suae. Ecce, ex hoc tempore beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen eius. Et misericordia eius quoque a progenie in progeniem timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo et dispersit eos qui se exaltant in mente cordis sui. Deposuit potentes de thronis suis et exaltavit humiles; satiavit esurientes benedictionibus suis et divites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum et recordatus est misericordiae suae, quam indicavit patribus nostris, Abraham et semini eius, usque in saeculum ». Remansit deinde Maria tres menses apud Elisabeth, et abiit in domum suam.

Postea Ioseph ex itinere suo redux, venit in domum suam, et cum vidisset Mariam gravidam, percussit faciem suam, cineremque imposuit capiti suo et sese prostravit in pulverem et lacrimatus est cum clamore magno dicens: « Hei mihi! quis est qui seduxit hanc filiam David! Hei mihi! quis p. 11.
est qui ei insidiatus est! Hei mihi! quid vero faciam de puella ista, quam virginem et puram e templo accepi! Hei mihi! quis est qui virginem devicit et illam vitiavit! Hei mihi! ecce erit super me opprobrium et ignominia inter filios Israel! Hei mihi! cum res patefacta erit coram sacerdotibus et senioribus et principibus populi! Hei mihi! ecce enim venit ad virginem et seduxit eam sicuti seduxit Evam serpens maledictus qui eam seduxit sicuti seduxit Evam serpens maledictus, quando fecit illam manducare ex arbore de qua prohibuerat Dominus ne ex ea comederent! » Et dum sic luget et plangit, surrexit de pulvere et vocans Mariam dixit ei: « O mulier, cur hanc rem fecisti? cur contristasti animam tuam et inquinasti teipsam, magnum opprobrium adduxisti super te et me, et ignominiam et opprobrium in medio populi? Oblitane es Domini Dei tui? Quomodo non recordata es prioris habitationis tuae in sancto sanctorum, cum tibi angelus Domini demittebat cibum e caelo cotidie; oblita es quomodo coram patribus tuis creveris in honore, iustitia et sanctitate ». His verbis auditis, Maria planxit cum fletu magno et aperiens os suum dixit: « Ego vero nullo modo quidquam mali feci ».

Dixitque Ioseph: « Hoc quod est in sinu tuo quid est? ». Respondens Maria dixit: « Dominus Deus scit nihil mali unquam fecisse me coram Domino neque inquinavisse carnem meam ». Ioseph autem, auditis his verbis, cogitabat intra se dicens: « Quid de hac femina faciam? Si vero hanc rem abscondero, ecce reus sum contra legis praecep[illegible], at si vero patefecero coram filiis Israel, timeo ne quod in sinu eius est de Spiritu *sancto* sit, et sanguinis iusti traditor ego sim ». Dixit quoque: « Quid de illa faciam? relinquamne illam occulte an apud me commorari patiar? » Deinde surrexit et abiit orare in templum et Deum precatus est, mentem suam elevans et dicens: « O Domine Deus, tu qui omnia creasti et omnium es opifex, qui nosti omnia, nec quidquam tibi est occultum et abscondita tibi
p. 12. patefacta sunt. Dominus et Deus meus, tu cognoscis quomodo ego acceperim sanctam et puram virginem, nec impii quidquam erga eam egerim, nunc vero nescio quid factum sit in ea; attamen tu edoce me quid faciam de illa femina ». Et multum oravit cum gemitu et lacrimis, supplicans coram Domino; et, expleta oratione, rediit domum et dormivit.

Ea vero nocte, angelus Domini apparuit per somnum Ioseph dixitque ei: « Ne timeas, Ioseph, accipere Mariam; quod in sinu eius est de Spiritu sancto est: ecce pariet filium et nomen eius vocabitur Iesus; liberabit ille populum suum a peccatis eius ». Expergefactus igitur Ioseph a somno, laetatus est gaudio magno, glorificans laudansque Dominum Deum Israel. Venit autem postea ad Ioseph sacerdos quidam, cui nomen erat Iohannes, salutavit eum et dixit: « Quare, Ioseph, retardando non ad templum venisti nobiscum? » Et ille respondit: « Iter feci, heri adveni, fessus eram de via et propterea per duos dies domo mea quiescere volo ». Et dum sic colloquitur Ioseph, conversus Iohannes ad Mariam, gravidam illam esse vidit et ivit ad Zachariam sacerdotem dicens: « Ecce, Ioseph quem tu probum fidelemque dicis, magnum scelus iam commisit ». Aitque Zacharias sacerdos: « Quid fecit? ». Et respondit Iohannes: « Cum virgine quam accepit e templo Domini, cuius illum fidum custodem constitueras, fornicatus est, gravidamque illam fecit ». Et respondit ei Zacharias: « Siccine Ioseph fecit? » — « Mitte, ait Iohannes, nuncium, iubens ipsam venire ad te, ut videas et credas eam gravidam esse ». Tum misit autem Za-

charias sacerdos nuncium ad virginem, quae venit ad eum et eam vidit ille esse praegnantem. Tunc allocutus est illam Zacharias sacerdos et dixit ei: « Quid est istud quod fecisti, constristans animam tuam inter filias Israel? Oblitane es temporis quo Dominus Deus tuus cotidie per angelum cibum tuum tibi e caelo
mittebat? Nonne tu habitasti in sancto sanctorum, ubi verba lau- p 13.
dum cantici psalmistae die nocteque audivisti? » Et misit dein Zacharias sacerdos nuncios ad Ioseph. Cum autem ille advenisset in conspectu eius, ait illi Zacharias: « Quid est hoc quod fecisti, Ioseph? Nuptias contraxisti cum virgine quam de templo accepisti et gravidam eam fecisti. Expectasti donec tibi manus imponeret benediceretque sacerdos ». Et Ioseph tacuit nihilque respondit. Et iterum ait ad Ioseph sacerdos: « Restitue nobis puellam sicut tu eam accepisti ». Et tunc flevit Ioseph fletu magno. « At nunc scito, inquit Zacharias, ecce aqua correctionis qua probantur omnes fornicatores: te potabo et postquam hanc biberis, actum tuum manifestabit Dominus coram omnibus hominibus ». Et deinde Zacharias sacerdos, Ioseph manu cepit tenuitque eum et potavit aqua probationis. Invitavit etiam Mariam eique aquam bibendam dedit; tunc congregatus est omnis populus ad videndum quid illis accideret. Et cum vidissent Zacharias sacerdos et populus nihil mali accidisse illis nihilque mali esse in eis, omnes mirati sunt. Et dimisit eos sacerdos redieruntque domum in pace.

Praecepit deinde Herodes rex ut adducerent coram se omnes qui in locis finitimis Bethlehem habitabant. Et cum audivisset haec Ioseph, cogitavit secum dicens de ista puella: « Quid vero faciam? Inscribamne illam tanquam uxorem? Verumtamen non est uxor mea. An sicut sororem? Verumtamen non est soror mea. Omnes enim filii Israel non esse uxorem meam aut sororem sciunt ». Deinde, postquam meditatus est: « De hac filia quam fecit Dominus fiat, inquit, sicut illi placuerit ». Et surrexit adduxitque asinum et fecit desuper conscendere Mariam et progressus est in Bethlehem. In via sequebatur eum sacerdos cui nomen Samuel, et ivit cum eo simul; at cum ad tertium miliarium itineris pervenissent, respexit Ioseph Mariam et vidit eam subridentem et exultantem, quae dicebat illi: « Ecce, dolores partus me cruciant, in eo sum ut pariam ». Ait illi
Ioseph: « Quomodo te deponam in hoc loco? », Tunc oculos p. 14.

sustulit et vidit speluncam, in quam Mariam introduxit et deinde obstetricem ad perquirendam exivit. Dum autem it per viam, terram trementem vidit, boves quoque pascentes vidit adspicientes in caelum et etiam iuxta magnum flumen, ubi ad bibendum convenerat, multitudinem ovium vidit suspicientem in caelum *et stantem*. Elevavit deinde Ioseph oculos suos ad colles Bethlehem, mulieremque advenientem vidit et cum prope eam accessisset salutavit eam Ioseph. Et dixit illa ei: « Quo vadis? quid quaeris? ». Respondit illi Ioseph: « Obstetricem quaero ». Et mulier dixit: « Quae est ista quae parit in spelunca? » — « Maria, inquit Ioseph, quae concepit de Spiritu sancto ». Dixit ei mulier: « Verumne loqueris? ». — « Veni ad eam », ait Ioseph, et ierunt ambo simul et ingressi sunt speluncam. At ecce nubem lucidam corona cingentem Mariam magnumque lumen de spelunca prodiens et omnem regionem collustrans adspexerunt, et infantem positum in praesepio viderunt. Tum statim mulier illa clamavit voce magna dicens: « Magnificavit hodie anima mea Dominum, quoniam novum lumen magnamque gloriam vidi ». Et militia caelestis adscendebat modo et descendebat ad locum in quo erat qui hac die natus erat Deus Israel, qui salvabit populum a peccatis eius. Et cum exiisset illa mulier de spelunca, ecce alteram mulierem invenit, cui nomen Sulāmē, a Domino missam ad Mariam, et ait mulier illi: « Sulāmē, veni et vide rem stupendam quae nunquam fuit a creatione mundi nec unquam erit in saecula saeculorum. Virgo etenim Maria peperit et post partum virgo permansit ». Respondit Sulāmē dicens: « Vivit Dominus, non credam hoc verbum nisi videro oculis
p. 15 meis ». Et tunc iverunt ambae simul et ingressae sunt speluncam. Sulāmē autem accedens proxime ad Mariam, extendit manum suam ut videret, at vero e corpore Mariae ignis ardens exiit et manus Sulāmē combustae sunt. Tunc cum magno clamore clamavit et dixit: « Hei mihi! hei mihi! propter magnum peccatum meum defectumque fidei ». Et sese prostravit in terram et ait: « Tu, Dominus et Deus Abraham, Isaac et Iacob, ne derelinquas me in opprobrium et ignominiam inter filios Israel, sed videas humilitatem meam; sana me a morbo meo, omnes enim qui invocant nomen tuum a malis suis liberantur ». Et subito angelus Domini adstitit Sulāmē, dicens ad eam: « Orationem tuam et petitionem tuam audivit Dominus; accipe infantem et

et porta illum manibus tuis quae igne combustae sunt et consequeris gaudium magnum ». Itaque Sulāmē sese prostravit in terram et postquam infantem portavit manibus suis quae igne combustae erant, repente sanata est. Tunc exclamavit: « Vere Rex Israel est hic ». Et cum e spelunca exiret cum gaudio magno, ecce venit e caelo vox dicens ad eam: « Sulāmē, cave tibi, nullique nuncies quae vidisti, donec ingrediatur puer in Ierusalem ».

Et ecce Magi ab Oriente venerunt Ierusalem, quorum nomina erant Tanisurām, Malik et Sissebā; et dixerunt: « Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? vidimus enim stellam eius in Oriente et venimus adorare eum ». Audiens autem Herodes rex, turbatus est et omnis Ierosolyma cum illo. Et Herodes, congregatis omnibus principibus sacerdotum et scribis populi, sciscitatus est ab eis ubi Christus nasceretur; at illi dixerunt ei: « In Bethlehem Iudae; sic enim scriptum est per prophetam: Et tu, Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exibit rex qui regat populum meum Israel ». Tunc Herodes, solis Magis vocatis, diligenter didicit ab eis quo die stella apparuerit eis, et mittens illos in Bethlehem, dixit: « Ite et interrogate diligenter de puero et cum inveneritis, renunciate mihi ut et ego veniens adorem eum ». p. 16.
Et obediverunt regi et abierunt; et ecce stella quam viderant in Oriente, praeivit eis usquedum perduxerit eos, et stetit supra *locum ubi erat* puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde, et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius; et adoraverunt eum nutricemque eius, et, apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera: aurum, quia rex erat; obtulerunt postea tus, quia Deus, et tertio myrrham attulerunt propter incarnationem corporis eius: et ipse Iesus accepit munera ab eis.

Stetit autem angelus Domini iuxta illos [1] et claritas Domini circumfulsit illos et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: « Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo. Natus enim est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et sic est signum eius: invenietis infantem artubus involutis et

[1] Hic male consarcinavit auctor narrationem quae ad pastores non autem ad Magos spectat.

positum in praesepio ». Et subito facta est cum angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum et dicentium: « Gloria in caelis Deo et in terra pax, bona eius voluntas hominibus ». Et cum Magi recessissent ab infante, dum volunt redire ad Herodem, dormierunt in itinere et ecce angelus Domini per somnum apparuit eis, dicens: « Nolite adire Ierusalem, at vero per aliam viam abite et redite in regionem vestram ». Et orto die, fecerunt sicut praeceperat eis angelus Domini et cum pervenissent in regionem suam, iverunt ad regem suum qui interrogavit eos dicens: « Quid vidistis? ». Et narraverunt omnia quae viderant et quomodo munera ipsorum puer accepisset. Et iterum interrogans eos *rex* dixit: « Quid autem vobis dedit? » Et responderunt dicentes: « Dedit nobis paullulum panis benedictionis quem nos abscondimus sub terram ». Et ait illis rex: « Ite, afferte eum mihi ». Et recedentes, abierunt ad illam terram ubi *panem* abdiderant; et dum illam fodiunt, ignis inde exiit et propterea Magi usque adhuc ignem adorant. At Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde et mittens oc-
p. 17. cidit omnes pueros qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus eius, annos natos duo et minores quam duo.

Et cum audivisset Elisabeth, uxor Zachariae sacerdotis, quod filium suum Iohannem quaerebant ut occiderent eum, arripuit eum et duxit in montana. Circumspectabat autem dextrorsum et sinistrorsum dicens: « Ubi ponam puerum meum, quid faciam de eo? » Et postea clamans, voce magna dixit: « Collis Domini, custodi hunc puerum meum ». Et statim petra sese aperuit. Elisabeth autem in eam intravit cum puero suo, et iterum super eos petra se clausit. Magnam lucem misit Dominus in speluncam illam et cotidie angelus cibum eis afferebat.

Et ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: « Surge et accipe puerum et matrem eius et fuge in Aegyptum; et esto ibi usquedum dicam tibi. Rex Herodes enim in eo est ut quaerat puerum ad occidendum eum ». Ioseph autem consurgens accepit puerum et matrem eius et exiit noctu et secessit in Aegyptum. Et fuit ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: « Ex Aegypto vocavi filium meum ».

Et Herodes adscendit in Bethlehem ut puerum *Iesum* requireret qui natus erat, sed eum non invenit. Cum autem Iohan-

nem filium Zachariae non invenisset, misit ad Zachariam patrem eius sacerdotem et ait illi: « Rex praecipit tibi ut adducas filium tuum ». Et respondens Zacharias sacerdos militibus regis qui advenerant ad eum, dixit: « Nescio ubi sit filius meus; ego enim diu noctuque ministro in templo Domini ». Et abierunt milites regis ipsique nunciaverunt quae narravit eis Zacharias sacerdos. Et iterum misit eos ad illum dicens: « Certiores fac nos ubi sit filius tuus; si vero recusaveris, scito sanguinem tuum esse sub manu mea ». Et iverunt milites ad Zachariam sacerdotem et ei nunciaverunt omnia, sicut eis rex dixerat. Respondit Zacharias sacerdos dixitque eis sicuti antea dixerat et iuravit se nescire ubi esset filius suus. Et postea, misso ad eum nuncio, tertio ait illi *rex*: p. 18.
« Si non adduxeris filium tuum, scito et considera quia ego ad te veniam et te occidam ». Et Zacharias, his auditis, dixit: « Vivit Dominus, vel si sanguinem meum fuderitis, ignoro tamen ubi sit filius meus ». Et milites redierunt nunciaveruntque regi omnia, quae eis dixerat sacerdos Zacharias. Herodes autem surgens deinde per noctem, abiit in templum Domini, ubi manebat Zacharias et ibi occidit eum, et hoc nemo unquam cognovit inter filios Israel. Et cum illuxisset dies, venerunt in templum filii Israel, secundum legem et institutionem eorum. Inventa autem clausa porta templi Domini, steterunt foras exspectantes donec aperiret eis Zacharias, sicuti cotidie faciebat. Sed nemo venit ad eos, nec eis quisquam portas aperuit. Cum autem diu exspectavissent, ascendit unus ex illis supra tectum templi et ingressus per fenestram, intravit in templum. Tunc audivit vocem dicentem: « Certissime quidem Zachariam occidit Herodes ». Et vox tacuit; et postquam vir audivit hanc vocem, aperuit portam templi Domini et renunciavit omnia quae a voce audierat. Tunc filii Israel ingressi sunt omnes in templum ad videndum, et corpus Zachariae non invenerunt, sed tantum coagulatum sanguinem. Magna tristitia propterea afflicti ploraverunt, et planxerunt super eum per tres dies et tres noctes. Postea sacerdotes consilium inierunt inter se ut alium in eius locum sufficerent; sortes miserunt inter se; et venit sors super Simeonem sacerdotem, ne exiret ille ab hoc mundo nisi prius vidisset Messiam Domini, salvatorem totius mundi.

Post autem aliquot dies, defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, et dixit: « Surge et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel; defuncti enim sunt qui quaerebant animam pueri ». Et *Ioseph* consurgens, accepit puerum et matrem eius, et venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire, et admonitus in somnis, se-
p. 19. cessit in partes Galilaeae, et veniens habitavit in civitate quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: « quoniam Nazaraeus vocabitur filius meus ». Elisabeth vero cum filio suo egressi sunt e spelunca, et vixit Iohannes, praedicans in deserto Iordanis viam paenitentiae, rectum iter faciens coram Domino nostro Iesu Christo: cui sit honor et laus, potestas et magnificentia, in saecula saeculorum. Amen.

Ei qui librum hunc scripsit et ei qui iussit illum scribi, ei qui recitaverit et ei qui huius lectionem audierit, omnibus, pariter sit misericors Dominus. Amen.

II

LIBER

DE TRANSITU VIRGINIS MARIAE.

INTERPRETATUS EST

MARIUS CHAINE.

Opusculum, cuius recensionem aethiopicam edimus, inter scripta apocrypha antiquitatis christianae, sub titulo *Liber de Transitu Virginis Mariae*, iam diu notum est. Pro argumento habet mortem et resurrectionem Beatae Mariae Virginis in urbe Bethlehem quattuorque versionibus (Graeca [1], Syriaca [2], Arabica [3], Aethiopica) traditum est. Ex his iam versionibus tres editae fuerunt, saeculo proxime elapso, et tum ad pleniorem intellegentiam huius operis, tum ad fovenda studia aethiopica, perutilem huius versionis aethiopicae editionem fore censuimus. Ipsius quidem, in codicibus quos bibliothecae Europaeae servant, duplex forma invenitur: una longior, altera brevior quae prioris compendium videtur esse; et in Bibliotheca Nationali Parisiensi utraque invenitur codicibus numeris 53 et 54 in catalogo Zoten-

[1] Tischendorf, *Apocalypses apocryphae*, p. xxxvi et p. 99.

[2] Wright, *Contributions to the apocryphal literature of the New Testament* (*Journal of sacred literature*, Januar-April; 4th Series, vol. VI, VII, 1865).

[3] Enger, *Ioannis apostoli de transitu beatae Mariae Virginis*. Elberfeld, 1854.

berg notatis[1]. Longiorem, quae cum aliis versionibus magis convenit, typis mandandam elegimus, textumque nostrum e codice membranaceo n° 53 (fol. 25 *r*—fol. 64 *r*) excerpsimus.

[1] ZOTENBERG, *Catalogue des mss. éthiopiens de la Bibliothèque nationale*. Paris, 1877.

LIBER TRANSMIGRATIONIS MARIAE. p. 23.

Christus Deus meus et spes mea, Domina mea Maria, intercedant pro me in hac narratione transmigrationis, ex hoc saeculo in vitam, sanctae et purae Mariae, matris Christi Dei nostri.

Tertia die postea, tempore meridiano, exivit e domo Maria et abiit orare ad sepulcrum filii sui; talis erat enim consuetudo eius adire cotidie sepulcrum Golgotha, et ubi orare. At vero postquam mortuus est Christus, posuerunt Iudaei lapidem magnum ad ostium sepulcri eumque sigillo signaverunt et, positis custodibus, iusserunt eos non sinere quemquam orare ibi et, si quis venisset ad orandum, lapidibus obruere eum et occidere. Et etiam Iudaei sumpserunt crucem Christi et duas cruces, quibus affixi fuerant latrones, et lanceam qua latus Christi transfixerunt, et vestes quibus vestierunt eum, et coronam spineam qua eum coronaverunt, et clavos quibus eum cruci affixerunt. Et tulerunt et absconderunt omnia simul sub terram; timebant enim ne quis veniret et eos interrogaret de omnibus rebus quae erant de Christo et propterea haec absconderunt sub terram. Iudaei vero cotidie videbant Mariam venientem ad sepulcrum ut oraret. Illa sese prosternebat in faciem suam et manebat usque ad horam tardiorem dicens: « Domine meus et Deus meus, mitte qui me tollat ex hoc pravo saeculo, multum enim timeo Iudeaos inimicos meos et tuos. Iampridem cum veniebant apud me, dimittebam et expellebam eos et, verbo procedente ex ore meo, oculi eorum caeci fiebant et corda eorum obnubilabantur per potentiam Dei mei qui ex me natus est iuxta voluntatem eius. Illi enim non potuerunt facere mala super me, et aquam obiurgationis [1] dederunt mihi bibendam. Et cum me vident venientem et orantem prope sepulcrum, mihi conviciantur et sese efferunt contra me ». Postea abierunt custodes ad sacerdotes eisque dixerunt: « Nemo venit orare ad sepulcrum Golgotha nisi sola Maria; haec autem venit cotidie orare mane et vespere ». Responderunt sacerdotes et custodibus p. 24.

[1] Cf. *Num.*, v, 18 s.

dixerunt: « Si venerit iterum Maria, obruite illam lapidibus ». Dixerunt custodes sacerdotibus: « Nos vero non lapidibus obruemus eam; attamen cum venerit ad sepulcrum, indicabimus vobis ut ei faciatis quod vultis ». Et sacerdotes custodibus dixerunt: « Immo enixe lapidate illam, magna enim poena digna est, propterea quod ignominia affecit filios Israel ».

Et feria sexta venit Maria orare ad Golgotha sepulcrum, et cum oraret, elevavit oculos suos in caelum cum fumo odorante turis; et tunc venit angelus Gabriel ad Mariam eamque veneratus salutavit dicens: « Ave tibi, o benedicta inter mulieres; Dominus tecum est, Mater Dei: ecce pervenit deprecatio tua usque ad Dominum nostrum Iesum Christum qui eam accepit. Ex hac hora ergo exibis ex hoc saeculo in vitam aeternam, amen.

Propter hoc enim missus sum ad te ut dicam et nuntiem tibi quod qua hora tu orasti in terra, exaudita est oratio tua in caelo, et quidquid petiisti a Christo qui sedet ad dexteram Patris, dabit tibi iuxta orationem tuam, et faciet tibi voluntatem tuam in caelo et in terra, sit nomen eius benedictum in saecula saeculorum, amen ». Et iterum abierunt custodes ad sacerdotes et eis dixerunt Mariam venisse et orasse ad sepulcrum, postea conversam recessisse et rediisse domum suam. Et ecce magnus tumultus fuit in Ierusalem propter Mariam. Et iverunt sacerdotes ad praefectum et dixerunt ei: « Mandatum fac ad Mariam ne illa ad sepulcrum Golgotha eat neque illic oret ».

Et dum sollicitudinem habent de his rebus, ecce advenit ex parte Abgar Edessae regis epistula ad regem Tiberium: « Percipe itaque unum discipulum ex septuaginta duobus discipulis aedificasse templum christianum in urbe Edessa. Ille me sanavit e morbo quo tenebar mihique narravit quae fecerit miracula Christus, et tunc cor meum subit dilectio illius; voluissem eum videre eumque in urbe mea mecum manere. Et cum audivi Iudaeos illum apprehendisse et crucifixisse, valde contristatus sum. Propter hoc surrexi, equis vectus sum et perrexi ad
p. 25. Euphratem ut Ierusalem peterem ad bellum gerendum, ut illam destruerem et qui eam inhabitant interficerem, quia Christum occiderant. Sed dum eo per viam, mecum ipse reputavi et dixi: Si vero per Euphratem, qui non est sub mea dicione transiero, Tiberius in corde suo simultatem concipiet et rixa et caedes inter nos exsurgent; quapropter conversus sum rediique

in regionem meam. Nunc vero cupio te poenas sumere de Iudaeis qui Christum crucifixerunt, in quo iniustitia non erat. Si vero antea scivissem eos Christum crucifixuros, ad te advenissem ne hoc facerent ». Sic scripsit Abgar, rex Edessae, ad Tiberium. Et postquam epistulam legit Tiberius rex, tremuit et obstupuit et timore magno correptus est et Iudaeos voluit occidere. Et cum hoc audierunt viri Ierusalem, timor apprehendit eos; quare abierunt ad praefectum et ei dixerunt: « Haec omnia sunt propter Mariam et propter illum qui ex ea natus est, ut destruatur templum; nunc vero nuncium mitte ad Mariam ne eat ad sepulcrum Golgotha neque ibi oret ». Respondit praefectus et dixit eis: « Ite, huic dicite vosmetipsi sicut volueritis ». Et deinde iverunt sacerdotes ad Mariam et illi dixerunt: « Ecce inde ab hac hora tibi quidem cave neque eas iterum orare ad sepulcrum Golgotha; o Maria, dicimus tibi: memento peccati tui quod patrasti coram Domino. Et si vis orare, ora cum populo et serva mandata Moysi ut remissa sint peccata quae fecisti; diebus sabbati vade in templum cum populo; imponent librum legis sacerdotes super caput tuum ut remittatur peccatum tuum, et si vero sic feceris, te non reiiciemus nec repudiabimus; si aegrotaveris, clamabimus in voce tubae et confestim sanaberis et orabimus Dominum ut faciat tibi misericordiam tibique parcat. At si tu verba nostra non observas, exi e Ierusalem et vade in Bethleem quia te non sinemus iterum orare ad sepulcrum Golgotha ». Et respondit Maria dixitque eis: « Non vos decet ad me verba talia loqui; mandatis vestris non parebo neque audiam verba vestra et in viam vestram perversam non ibo ». Postea abierunt Iudaei e Maria cum magna indignatione et ira, et iverunt domum; nam sol ad occasum vertebat. p. 26.
Postera die Mariam adierunt dixeruntque ei: « O Maria, ecce iam tecum locuti sumus, sed tu mandatis nostris non paruisti, verba nostra non audisti et dicta nostra despectui habuisti ». Illa vero tacuit et non respondit eis quidquam. Aegrotavit deinde Maria, vocavit tunc mulieres omnes vicinas suas dixitque eis: « Salus sit super vos; ecce malo ire Bethleem, ut ubi habitem domi meae, Iudaei enim prohibuerunt me orare ad sepulcrum Golgotha. Quod si quis (quae) mecum venire cupiat, ne tardaverit, Dominus enim mecum est, Deus meus qui est in caelo et omnia quae petiero a Domino mihi dabit, et explebit voluntatem meam ».

Et laetabatur etiam cor Mariae propter verba quae ei, dum ad sepulcrum orat, nunciaverat Gabriel angelus sic dicens: « O benedicta inter mulieres, ecce exibis ex hoc saeculo transeunte et ibis in vitam aeternam quae finem non habet et non consummabitur, exaudita est enim oratio tua et petitio tua per aures Domini Sabaoth ». Et postea ad illam venerunt tres virgines quae ministrabant ei et ei dixerunt: « Domina nostra, noli contristari, ecce nos tecum ibimus ut clementiam et misericordiam inveniamus coram Domino qui ex te natus est; propter te enim parentes omniaque nostra reliquimus. Te elegimus et apud te venimus ut moriamur vivamusque tecum ». Sic dixerunt *Mariae* virgines, et ei sese adiunxerunt eique ministrabant die ac nocte. Illae vero petierunt ab ea ut diceret sibi quomodo Dominus noster Iesus Christus, filius Domini vivi, ab ea natus esset sine commercio hominis. Et Maria, mater luminis, quae valde illas *virgines*, amabat, omnia narravit eis quae cupiebant ab ea discere: suscipiebant ministerium eius et voluntatem eius faciebant; pedes eius lavabant et vestimenta eius odorabant et Maria honorata apud eas erat propter miracula quae videbant et prodigia quae die ac nocte coram eis Maria faciebat. Et hoc est primum miraculum quod viderunt virgines; odor turis suavis sicut unda maris domum replevit ubi erat Maria et omnes aegroti morboque afflicti ad eam veniebant, p. 27. benedictionem ex illa capiebant, eam venerabantur et a morbis suis sanabantur. Et mirabantur illae virgines cum videbant gloriam magnam quae super Maria erat. Et deinde apud Mariam viri multi et feminae venerunt, coram ea se prostraverunt dicentes: « Miserere nostri, clemens esto pro nobis, noli nos abiicere, o Domina ».

Benedicta virgo vero, manu extensa, illis benedicebat et sic loquebatur: « Accipiat Dominus orationem vestram et petitionem vestram ante Dominum Iesum Christum. Benedicat etiam illis virginibus quae mecum venerunt ad serviendum mihi, quia ex omni populo Israel non sunt nisi illae quae me secutae sint ». Et postea Mariae benedictae apparuit Gabriel angelus Domini dixitque ei: « Macte animo et noli timere, o Mater Dei, surge, vade in Bethleem, et mane ibi usquedum videris ad te venientes exercitus angelorum et apostolorum omnesque creaturas ut te orent beatamque proclament ». Et cum viderunt illae

virgines angelum Domini colloquentem cum Maria, timuerunt timore magno.

Deinde vocavit eas mulieres virgines Maria benedicta et dixit eis: « Afferte incensum et vestimenta ut oblationem Domino offeram ». Illae autem virgines seniorum templi filiae erant, sicque erant harum nomina: primae nomen Anna, quod interpretatur Ecclesia, congregatio populorum, hoc est sanctuarium caeleste. Secundae nomen Absa, quod interpretatur Christus filius Domini vivi qui ad dexteram Patris sedet. Nomen tertiae Ṣagā, quod interpretatur Spiritus sanctus qui omnibus qui credunt in Christum, caelestem vitam aeternam praebet. Quinta autem die exiit mane Maria et cum ea illae virgines et ivit Bethleem et ibi consedit hac nocte. Et quum feria sexta illuxit, aegrotavit Maria, dixitque tunc his virginibus: « Adducite mihi turibulum, quia cupio tus offerre Deo, Domino nostro Iesu Christo qui est in caelis ». Et ei *id* attulerunt, et tus immisit in turibulum et oravit sic dicens: « Domine meus et Deus meus, Iesu Christe, qui habitas in caelis, audi orationem meam et petitionem meam et mitte ad me Iohannem minorem, quia volo eum videre eoque laetari.

Et etiam mitte ad me omnes apostolos fratres eius, et fido p. 28. gratiae tuae quam mihi donasti, quia ego scio te me audire et mihi dare omnia quae a te volo ». Et, expleta oratione, Spiritus sanctus ad Iohannem locutus est Ephesi dixitque ei: « Ecce mater magistri tui vult te videre, exi prima luce et vade in *urbem* Bethleem. Ego vero, ibo ad fratres tuos apostolos, et eos congregabo ex omnibus regionibus, et eos quoque qui iam dormierunt in vitam revocabo a sepulcris, adducamque omnes simul ad salutandam sanctam benedictamque Mariam ». Sic locutus est ad Iohannem Spiritus sanctus et recessit ab eo. Postridie surrexit Iohannes et incepit praecipere discipulis suis ne cessarent ministrare in templo, sed facerent orationem omni tempore. Et etiam narravit eis quae sibi de Maria locutus esset Spiritus sanctus. Deinde Epheso exivit et se prosternens oravit et dixit: « Domine meus et Deus meus, Iesu Christe, fili Domini, da mihi auxilium tuum et virtutem in hoc itinere quod perfecturus sum ut videam matrem tuam antequam moriatur ». Et dum orat, subito advenit Spiritus sanctus, et rapuit eum nube lucida *vectum*, adduxitque domum Mariae. Sibi autem videbatur terra

ambulare Bethleem versus, et aperuit portam domus Mariae. Intravit ad eam et demisse prostratus ad pedes eius, dixit ei: « Salve, o benedicta inter mulieres, Mater Domini, noli iam contristari; ecce exibis ex hoc saeculo, cum gaudio et laetitia, cum magna gloria et laude ». Deinde venerunt illae virgines ad Iohannem et benedictionem ab eo ceperunt. Dixit autem Maria Iohanni: « Immitte tus in turibulum »; et fecit ille sicut iussit eum *Maria*. Oravit sic dicens: « Domine meus et Deus meus, fac signum et prodigium pro matre tua, antequam exeat ex hoc saeculo, ut omnes qui in te non credunt, ignominia et dedecore afficiantur et nomen tuum laudetur in eis qui nomen tuum amant et credunt te esse Christum filium Domini. Ecce caelum et terra testes sunt Mariam esse sanctam p. 29. matrem tuam, te Christum esse filium Dei vivi et omnes qui credunt in te vivere in saeculum saeculi, amen ». Postquam expleverat Iohannes orationem dixit ei sancta Maria: « Iam dixit mihi magister tuus: Cum volueris exire ex hoc saeculo, veniam ego ad te cum omnibus angelorum militiis ». Respondit autem Iohannes et dixit ei: « Ecce venit, eumque videbis sicut ipse tibi dixit ». Respondit benedicta et dixit ei: « Ecce Iudaei consilium fecerunt inter se, ut, cum mortua fuerim, corpus meum igne comburant ». Dixitque ei Iohannes: « Noli timere, Dominus tecum est, nemo enim est cui potestas super te data sit ». Respondit benedicta dixitque ei: « Cum mortua fuero ubi me sepelies? » Iohannes dixit ei: « Ubi iusserit me Christus ». Et hoc momento flevit benedicta et lacrimas fudit. Et cum Iohannes illam flentem vidit, contristatus est valde et flevit cum virginibus et cum propius accessisset, dixit ei: « Quod si tu, Domini genitrix, mortem times et transmigrationem ex hoc saeculo, quid erit iustis et bonis cum ex hoc saeculo exibunt? Noli iam timere, ecce dixit mihi Spiritus sanctus Ephesi: ' Surge vade ad Mariam benedictam, et *mane apud eam* usquedum veniant apostoli et eam venerentur ' ». Respondit Maria et dixit ei: « Immitte tus in turibulum et ora ». Et fecit Iohannes sicut praecepit ei et oravit sic dicens: « Domine meus, Iesu Christe, audi orationem meam, accipe petitionem meam et petitionem genitricis tuae; huic concede ut te videat dum est vivens, sicut locutus es per sanctum os tuum, dum ad eam venisti secuturus voluntatem tuam volun-

tatemque Patris tui et assensum illius qui est in caelis, sicut e caelis descendisti et in ea habitasti, nunc quoque eam visita cum exercitu angelorum, ut laudetur nomen tuum in caelo et in terra ». Et cum sic orabat Iohannes, venit vox e caelo dicens: « Amen ».

Et dum miratur Iohannes propter hoc verbum quod audierat, Spiritus sanctus dixit ei: « Quod audivisti verbum, factum est, ut congregentur apostoli undique ut salutandum veniant sanctam virginem Mariam ». Et postea abiit Spiritus sanctus ad apostolos dixitque eis: « Ite in *urbem* Bethleem ad recipiendam benedictionem Mariae ». Et ecce Simeon Petrus, in templum volebat ire, et eucharistiam celebrare. Venit autem ad eum p. 30. Spiritus sanctus dixitque ei: « Postquam perfeceris sacrificium tuum vade Bethleem, venit enim tempus transmigrationis Mariae matris Domini tui ». Et etiam Paulo locutus est, in regione cuius nomen Teryo, quae a Rom distat quinquaginta stadiis, et invenit Iudaeos cum Paulo rixantes et contra eum blasphemantes et dicentes: « Nos vero verbis tuis aures non praebebimus, tu enim Tarsensis es et de Christo praedicas. Te quidem cognoscimus quod homo pauper es tu ». Et dum sic rixantur Iudaei, Spiritus sanctus Paulo dixit: « Ecce, matri magistri tui advenit tempus transmigrationis ex hoc saeculo, surge et vade ad eam ». Et etiam locutus est Spiritus sanctus ad Thomam in regione Indorum, dum sedet prope lectum filiae regis, dixitque ei: « Advenit tempus transmigrationis Mariae, matris magistri tui, vade festinanter ad eam ». Tunc surrexit Thomas et petiit ecclesiam, immisit tus in turibulum et oravit pro ea. Et adhuc locutus est Mattheo Spiritus sanctus et dixit ei: « Advenit tempus transmigrationis Mariae matris Domini tui, vade, festina ad eam ». Et sic dixit Iacobo Spiritus sanctus in templo (Ierusalem). Etiam ad eos qui dormierant, Andream Simeonis Petri fratrem, Lucam, Simeonem Cananaeum, venit Spiritus sanctus dixitque eis in sepulcris eorum: « Ne putaveritis advenisse resurrectionem mortuorum, aut consummationem temporum; verum, surgite hodie e sepulcris vestris et ite in Bethleem ad recipiendam benedictionem Mariae. Sic dixit omnibus apostolis Spiritus sanctus. Hi vero cogitabant et dicebant: « Quomodo possumus celeriter petere Bethleem? » Tunc venit ad eos Spiritus sanctus et arripuit eos

in nubes, et flaverunt venti super nubes ex omni parte; propter fulgura multa caelum et terram splenduerunt a matutino usque ad meridianum, die feriae quartae. Et hac hora, Bethleem venerunt apostoli, magnus metus ortus est propter verendam maiestatem eorum, propterea quod vehebantur lucentibus nubibus, et vestes eorum sicut nix albae erant, et coronae gloriae super capita eorum fulgebant, et sustinebant angeli cur- p. 31. rus nubium et apostolos qui supra eos vehebantur, et Spiritus sanctus has nubes ducebat inter caelum et terram *per aerem*. Et ecce cum eis advenit David, filius Iesse, loquens et dicens: « Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto »; ita ante eos cantabat. Et postea venerunt principes angelorum, Michael et Gabriel, et coram apostolis steterunt dicentes eis: « Salvete, discipuli magni regis nostri qui vos ultro elegit ». Et etiam angelis apostoli dixerunt: « Salvete, angeli Domini nostri Iesu Christi, qui mysteria sancta custoditis ». Deinde Iohanni locutus est Spiritus sanctus et dixit ei: « Exi, occurre obviam apostolis; ecce Bethleem pervenerunt ».

Et tunc venit Iohannes, obviam eis occurrit et illos adoravit. Dixitque Petrus Iohanni: « Estne mortua an non, mater lucis sancta et benedicta? » Et respondens Iohannes dixit ei: « Minime, non est mortua ». Et postea oravit Iohannes coram eis et repleta est Bethleem odore fragrante et suavi. Postea apostoli et angeli simul domum sanctae et benedictae *Virginis* adierunt et ad pedes eius se prostraverunt dicentes: « Salve, o plena gratia et laetitia, noli timere et perturbari, o benedicta inter mulieres, qui enim ex te natus est, ex hoc saeculo te educet cum gaudio magno et gloria, et in thesauros suae lucis te perducet, tibi enim est super eos et super iustos omnes potestas ». Tunc surrexit Maria et lectulo insidens suo, discipulis dixit: « Ecce nunc scio et credo adventum Domini mei e caelis; priusquam moriar, illum ego videbo sicuti vos mihi visibiles estis. At mihi narrate quis vobis nunciaverit me aegrotare, ex qua regione ad me veneritis, et quo *vehiculo* vecti ut tam cito huc adveneritis; volo quidem Dominum celebrare qui vobis de me locutus est ». Et respondens Petrus, Iohanni discipulisque dixit: « Narret unusquisque quomodo ad Mariam venerit ». Responderunt discipuli dixeruntque Iohanni: « Ecce, tu ante nos venisti; narra quomodo veneris ». Et respondens

Iohannes dixit: « Cum Ephesi essem, Spiritus sanctus ad me p. 32. devenit dixitque mihi: ' Iohannes, ecce tempus advenit transmigrationis ex hoc saeculo Matris Magistri tui, et illa cupit te videre. ' Et iterum dixit mihi Spiritus sanctus: ' Ecce per omnes terras vadam et circumibo et apostolis nunciabo tum vivis tum mortuis dicamque omnibus de Maria, ut eam in Bethleem adeant eamque salutent. ' Et ecce subito super lucidam nubem arripuit me Spiritus sanctus et adduxit me hac hora usque ad domum Mariae ». Locutus est Petrus et dixit: « Ego vero, dum Romae eram, volebam accipere eucharistiam corporis Domini nostri redemptorisque Iesu Christi, quam instituit in remissionem peccatorum, cum ad me venit Spiritus sanctus dixitque mihi: ' Tempus transmigrationis advenit Mariae, matris Domini tui, vade ad eam in Bethleem '. Et tunc arripuit me Spiritus sanctus super nubem lucidam et huc me adduxit ubi apostolos omnes vidi nubibus vectos ad me [1] venientes ». Locutus est Paulus et dixit: « Ego iam dum cum Iudaeis rixor, subito arripuit me Spiritus sanctus et ad vos adduxit me ». Respondit Thomas et dixit: « In terra Indica eram, cum venit Spiritus sanctus, rapuit me et me deduxit ad vos ». Marcus autem dixit: « Cum orarem Alexandriae, ad me venit Spiritus sanctus et ait mihi: ' Ecce tempus transmigrationis Matris Domini tui ex hoc saeculo prope est; iam surge et vade in Bethleem '. Et deinde rapuit me Spiritus sanctus et huc me adduxit ». Locutus est Iacobus et dixit: « Ego vero dum ad sepulcrum Golgotha tus adolebam, Spiritus sanctus mihi locutus est et cum diceret: ' Sancta et benedicta mox exibit e saeculo ', rapuit me et huc me adduxit ». Matthaeus dixit: « Ego dum in navi sum et Dominum laudabam celebrabamque, ab omni parte circumdederunt me undae et ploravi et oravi, et dum oro, rapuit me Spiritus sanctus in nubem lucidam et ad vos me deduxit ». Dixit Philippus: « Iam mortuus, ego vocem praeconis audivi clamantem et dicentem: ' Philippe, Philippe, surge, exi de sepulcro ', et illico surrexi et ecce rapuit me Spiritus sanctus et ad vos me deduxit ». Simeon Cananaeus dixit: « Ego quoque iam demortuus, surrexi e sepulcro; ecce p. 33. vidi manum brachii extenti ad me venientem quae sustulit me

[1] Nisi ኀቤሃ legendum sit, « eam Mariam versus ».

e medio mortuorum, et rapuit me Spiritus sanctus super nubem lucidam et ad vos me deduxit ». Dixit quoque Lucas: « Cum essem in sepulcro, vocem tubae audivi qua buccinabant angeli; advenit lux intrans ad me in sepulcrum, mihi quidem videbatur esse resurrectio mortuorum. Tunc venit Spiritus sanctus, rapuit me, et huc apud vos me adduxit ». Locutus est Andreas et dixit: « Equidem surrexi e mortuis, quia vocem filii Domini audivi mihi dicentem: 'Andrea, surge et vade cum discipulis Bethleem, ecce cum omnibus tribubus angelorum ego ad vos veniam, transmigrationis enim tempus venit sanctae et benedictae Mariae, cum honore et gloria. Exibit illa ex hoc saeculo et *in locum* ubi sunt lucis Patris thesauri eam deducam et ibi manebit donec veniam iudicare vivos et mortuos' ». Dixit Bartholomaeus: « Dum in nomine Domini nostri Iesu Christi dormio locupleti gratia eius fretus, venit Spiritus sanctus, rapuit me et ad vos me deduxit ». Ita collocuti sunt coram sancta Maria apostoli omnes et narravit unusquisque quomodo ad eam pervenisset. Et sancta Maria, verbis apostolorum auditis, laudavit Deum caeli et terrae dicens: « Adoro te, Domine meus et Deus meus, in te confido, te laudo et magnifico, tibi psallo, tibi benedico, te sanctum proclamo qui me ludibrio esse populis non sivisti. Et etiam tu pudore confudisti pravos Iudaeos qui male cogitaverunt contra me ut igne concremarent corpus meum. Et nunc nomen tuum laudo magnamque potentiam tuam in saecula saeculorum, amen, et in perpetuum laudes mittam coram te qui ad me misisti discipulos tuos ». Et cum orationem suam absolvisset Maria, ait discipulis: « Imponite incensum in turibulum et orate ». Sicut eis Maria praeceperat, illi fecerunt et oraverunt seque prostraverunt usque in terram. Et subito strepitus tonitrui e caelo venit, sicut currus strepitus velociter decurrentis, et pariter *cum eo* bonus odor et suavis e caelo perfusus est. Descenderunt deinde angeli et militiae caelestes, quarum non est numerus, et domum in qua erat sancta et
p. 34. benedicta Maria cooperuerunt illamque alis suis coronaverunt dicentes: « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus noster, quem caeli et terrae incolae adorant ». Magnus autem timor fuit in Bethleem et prodigia et miracula ibi manifestata sunt; sine enim intermissione, exercitus Domini in caelum

ascendebant descendebantque super hanc domum. Et apparuit e medio eorum tanquam figura filii hominis, qui e medio currus cherubim locutus est et ait: « Ite, intrate domum Mariae ».

Tunc Hierosolymam profecti sunt custodes Bethleem et narraverunt senioribus sacerdotibusque omnia miracula et prodigia quae super sanctam Mariam fuerant. Et postea abeuntes custodes et incolae Bethleem, populis narraverunt omnia prodigia et miracula quae facta coram sanctae *Mariae* viderant. At illi non crediderunt eis donec miserunt alios qui percuntarentur quae super Maria fiebant. Cum hi venissent illuc, ianuas caeli viderunt apertas et angelos Domini e caelo descendentes et intrantes domum Mariae. Et etiam fulgura et tonitrua exibant e domo Mariae et in caelum ascendebant, et tunc viderunt discipulos Mariae servientes. Viderunt quoque nubes e caelo provenientes quae rorem et vaporem super Bethleem effuderunt. Viderunt quoque stellas e caelo descendentes sanctamque Mariam adorantes. Et etiam viderunt solem et lunam, quae omnem terram illuminant, e caelo descendentes et Mariam adorantes. Et praeterea viderunt sanctam *Virginem* in lecto iacentem et Gabriel angelum ad eius caput stantem, Michael autem ad eius pedes, et flabellum manu tenentes, sanctam *Mariam* ventilabant. Deinde viderunt apostolos prope lectum Mariae stantes cum timore et tremore manusque ad caelum extollentes. Petrus et Iohannes vestibus suis lacrimas sanctae *Virginis* tergebant. Et etiam fumum turis viderunt, sicut undam maris e fundamentis domus profluentem, et angelorum exercitus quibus non est numerus stantes cum timore et tremore, gloriam dantes Domino qui in sinu Mariae virginis habitavit. Et extensis alis, hi adorabant sanctam benedictamque Mariam Christi matrem, sic p. 35.
clamantes: « Salve, o benedicta inter mulieres, benedictus est quoque qui ex te natus est, Dominus noster ac Deus, redemptor noster Iesus Christus ». Et caelestes exercitus psallebant, spiritus omnes laetabantur et Virtutes sanctae Mariae benedicebant. Illi vero propius accedere ad eam non potuerunt propter magnam lucem super illa splendentem; viderunt quoque mutos, surdos et coecos et qui morbo laborabant domum sanctae et benedictae Mariae adiutricis nostrae venientes, [clamantes

et dicentes: o Maria sancta] et benedicta. « Miserere nostri et clemens esto nobis, sana nos per orationem tuam et petitionem tuam »; et illico e morbis suis sanabantur. Et etiam veniebant ad eam mulieres ex omnibus regionibus, Roma, ex Egypto, ex omni Alexandria, et quaedam filiae regum et principum dona ferebant et venerabantur Mariam, et in Christum ex ea natum credebant. Et illam interrogabant: « Narra nobis, quomodo ex te natus sit Dominus noster Iesus Christus sine semine hominis? » Et omnia quae sibi acciderant narrabat Maria et cum in regiones suas revertebantur, illis benedicebat et aroma suavem odorem perfundens dabat eis, ut crederent consanguinei eorum certum esse nuncium de sancta Maria.

Et ecce venerunt apud eam duae mulieres, quas morbo affecerat daemonium, eiulabant et dicebant ad eam: « Miserere nostri, o sancta et pura *Virgo*, libera nos e morbo quo laboramus ». Sancta autem Virgo supra eas oravit, illis benedixit, et statim e morbo sanatae sunt. Et venit etiam mulier ex Egypto, magna febri laborans: Mariam venerata est, et subito sanata est. Altera mulier, cuius oculum dextrum coecum daemon fecerat, venit ad Mariam et imploravit eam dicens: « Misericors esto supra me, o Domina mea »; et posuit *Maria* manum suam supra oculum eius, et statim eum sanavit. Venit quoque mulier quam multa daemonia vexabant, ad Mariam accedens voce magna clamavit et dixit: « Sana me, o Domina mea ». Et extendens manum suam, oravit Maria, et dixit: « Adiuro vos, in nomine Domini nostri Iesu Christi, exite ex hac anima, nolite iterum torquere eam »; et statim exierunt ex hac muliere daemones vociferantes et dicentes: « Quid tecum est nobis, o Maria, mater Christi? Ecce nos
p. 36. dispersi sumus in omnes regiones propter potestatem magnam eius qui ex te natus est, non enim possumus ei resistere, ille vero proiecit nos usque in inferiora terrae. Et tu sicut ille propulisti nos, per orationem tuam ex hac anima ». Tunc demersit eos Maria in profundo mari. Tunc venit ad Mariam rex Aegypti Safnon, cuius caput leo laeserat, et clamans dixit ei: « O Domina mea, sana me per orationem tuam ». Et extensam manum suam super caput eius posuit Maria, et illico a morbo sanatus est. Et deinde Ierusalem convenerunt multi homines aegrotantes et morbo afflicti, orabant et dicebant:

« Ubi est benedicta Maria? » Et respondentes ei dicebant: « Non est *hic*, illa vero habitat in *urbe* Bethleem ». Et turbae, quarum non erat numerus, se prosternebant in faciem suam ante ianuas domus Mariae et clamantes magna voce, sic dicebant: « Sancta Maria, Mater Christi, clemens esto nobis, sana nos, noli nos confundere ». Eorum verbis auditis, oravit Maria pro eis, sic dicens: « O Domine mi, Iesu Christe, per magnam auctoritatem tuam, suscipe deprecationem meam et petitionem meam, animas horum aegrotorum sana, qui apud te venerunt ». Et hoc temporis momento omnes sanati sunt, quorum numerus hominum duo millia et octo erat praeter feminas et pueros. Et fuit magna gloria in omni terra Bethleem. Hac hora, venerunt principes templi et seniores Bethleem, et convocatis hominibus illis qui per Mariam sanati erant, interrogaverunt eos dicentes: « Narrate nobis quid vobis Maria fecerit ». Hi autem responderunt et dixerunt: « Cum super nos oraret Maria, magna virtus ex ea processit et sanati fuimus a morbis nostris ». Et postquam haec verba Iudaei audierunt, obscurati sunt oculi eorum, et timuerunt sacerdotes eorum et consternati principes, voce magna dicebant: « Ecce propter Mariam, magna tristitia et afflictio et calamitas devenit super nos ». Et quidam dixerunt: « Iam expellite Mariam ex Bethleem, nolite sinere illam apud vos commorari ». Et vespere facto hoc die, venerunt Iudaei domum Mariae ut discipulos una cum Maria apprehenderent. Sed cum pervenerunt domum Mariae, ingredi non valuerunt, quia hac hora portae caeli patefactae sunt magnaque lux exiit: tunc p. 37.
reversi sunt apud principes et sacerdotes, et eis narraverunt quod evenerat. Illi autem iusserunt ire praefectum cum triginta militibus, et apprehendere Mariam et discipulos. Sed tunc, descendit Spiritus sanctus super apostolos dixitque eis: « Ecce venit praefectus cum triginta militibus e Hierosolymis, ut vos comprehendat tum discipulos tum Mariam. Sed nunc, exite ex hoc loco, et nolite timere; ecce ego vos faciam transire inter caelum et terram *per aerem*, nec quisquam poterit vos videre, quia vobiscum est virtus Domini ».

Deinde exierunt discipuli portantes lectum Mariae, et ecce venit Spiritus sanctus, qui rapiens eos deduxit Ierusalem. Venit deinde praefectus cum suis militibus domum Mariae, et cum intravisset intus, neminem prorsus invenit. Ille vero praefectus iratus

est valde, dixitque incolis Bethleem: « Nonne vos venistis ad principes eosque certiores fecistis discipulos Iesu adesse apud Mariam, magna cum gloria, dum angeli Domini ascendunt et descendunt domum Mariae? Nunc vero venite ad principes ut dicatis quod volueritis ». Et illi abierunt cum eis, et petierunt Ierusalem et cum principibus locuti sunt dicentes: « Postquam Bethleem intravimus, non invenimus Mariam, nec discipulos, nec quemquam ». Dixeruntque eis sacerdotes: « An nescitis discipulos fecisse incantamentum, oculis vestris ne videretis? Nunc vero, simul ac nuncium certum de illis audieritis, apprehendite illos et adducite ad nos ». Post autem quinque dies, viderunt incolae Ierusalem angelos Domini ingredientes domum Mariae atque inde exeuntes; tunc congregati sunt vicini eius clamantes et dicentes: « O Maria, Mater sancta Dei, in te speramus, Christum deprecare ut ille concedat nobis salutem a se profectam ». Postera die, miserunt sacerdotes convocare vicinos *Mariae* dixeruntque eis: « Quis est hic clamor, quae est ista eiulatio quam audimus apud vos? » Respondentes dixerunt: « Ecce Maria Mater Dei ingressa est lomum suam et angeli Domini hymnos celebrant coram ea ». Deinde adierunt sacerdotes praefectum dixeruntque ei: « Ecce
p. 38. fit magna caedes et tumultus in urbe Ierusalem propter Mariam ». Respondit praefectus et dixit: « Quid ergo faciemus? » Responderunt homines Hierosolymitani dixeruntque ei: « Sumamus ignem et ligna et comburamus domum eius quam *ipsa* inhabitat ». Respondit praefectus dixitque eis: « Facite quod vultis ». Et postea, sumpserunt homines Hierosolymitani ignem et ligna, ut comburerent domum ubi commorabatur Maria; et postquam advenerunt *in locum* ubi commorabatur illa, coeperunt claudere portam domus Mariae. Sed illico exiit angelus Domini et percussit eos alis, in faciem eorum, et combussit omnes qui accedebant ad portam domus *Mariae*. Et mortua est ibi magna multitudo, et magnus timor fuit Hierosolymis. Praefectus autem videns hoc prodigium manus protendit ad caelum et dixit: « Gloria *sit* filio Dei, qui natus est ex Maria Virgine, eum laudo, eum celebro, eum adoro, usque in saecula ».

Postera die, nuncium misit praefectus ad congregandos sacerdotes omnesque homines hierosolymitanos, dixitque eis: « Mali homines, qui crucifixistis Christum, qui de caelo descendit pro

salute omnium hominum. Ego vero credo in eum, non sum enim unus ex vobis, nec homo ex regione vestra, sed tantum Tiberius rex constituit me praefectum super vos, propter mala opera vestra. Ecce ex hac hora, ego dico vobis, ne quis ullo modo appropinquet ad domum Mariae sanctae et benedictae ». Deinde surrexit homo fidelis, cui nomen *erat* Caleb, qui fidem habebat in Christum, et praefecto locutus est secreto, dixitque: « O praefecte, adiura eos, hoc iuramento: per Deum vivum, qui eduxit filios Israel ex Aegypto, et per sanctam legem Moysi, ne mentiantur, sed tantum certe loquantur; quem ergo dicunt esse Christum, qui natus est ex Maria, estne propheta, an filius Dei, an quidam homo qui e concubitu natus sit, exacte respondeant tibi. Ego enim scio sapientes esse et posse verbum Libri sancti notum facere ». Deinde surrexit praefectus, et insedens alto throno, iussit congregari omnes homines Hierosolymitanos adiuravitque eos per iuramentum quod ei indicaverat Caleb. Dixit eis: « O viri Israelitae, adiuro vos per sanctam p. 39.
legem Moysis, seiungite vos, qui creditis in Christum, qui natus est ex Maria, et qui in eum non creditis ». Et hoc audientes, secesserunt omnes unus ab altero, cum magno timore. Locutus est praefectus dixitque eis: « Creditisne in Christum, qui natus est ex Maria, aut non creditis? » Et dixerunt seniores praefecto: « Credimus in eum, quod filius sit Domini, qui creavit caelum et terram et omnia quae in eis sunt ». Alii autem qui non credebant dixerunt praefecto: « Scimus adventum Christi non esse propinquum ». Responderunt amatores Christi et dixerunt: « Nonne pater noster Adam imperavit filio suo Seth, antequam moreretur, sic dicens: ‘Ecce posita sunt in spelunca thesaurorum sacrificium et oblatio, *nempe* aurum, tus et myrrha, quae magi obtulerent filio hominis, qui natus erat Bethleem’ ». Responderunt infideles qui non credebant et dixerunt: « Estne Christus maior quam Abraham, cui Dominus caelos aperuit et cum eo collocutus est? » Responderunt amatores Christi et dixerunt: « Certe infideles estis vos scientia destituti; attamen, nos vero credimus certe illum qui natus est ex Maria, creatorem esse orbis universi; antequam crearetur Abraham in sinu *matris*, Christus erat ante omnem creaturam ». Dixerunt infideles: « Christus in quem creditis estne honoratior Isaac qui Domino oblatio grata

fuit? » Et responderunt amatores Christi: « Si sacrificatus fuisset Isaac, sacrificium unicum appellatus fuisset, at vero fuit figura Filii, et Christus ligno crucis affixus fuit oblatio pro universo mundo et per eum hic mundus accedit ad Dominum ». Dixerunt infideles qui non credebant: « Estne Christus maior Iacob, qui scalam caeli vidit angelosque adscendentes descendentesque per istam scalam? » Dixerunt amatores Christi: « Angeli et scala quos vidit Iacob in medio caeli et terrae, prophetia sunt de adventu Christi ». Dixerunt infideles qui non credebant: « Estne Christus maior Elia, qui adscendit in caelum quo delectatus est p. 40. Dominus et omnibus operibus eius? » Dixerunt amatores Christi: « Elias quidem *erat* super nubem quae sub caelo est, ubi apparent sol et luna; verum cum caelum adscendit Elias, nemo veneratus est eum, nisi famulus eius Elisaeus. Cum autem adscendit Christus super caelos, adoraverunt eum omnes creaturae, quae in caelo et quae in terra ». Dixerunt infideles: « Estne Christus maior Moise, qui demersit Pharaonem et milites eius in mare et subsistere fecit undas sicut parietem hinc atque illinc, et salvos fecit filios Israel? » Dixerunt amatores Christi: « Nonne vero Christus redarguit daemones demersitque illos in mare? Et etiam *nonne* expandit manum suam, salvumque fecit Simeonem Petrum ex unda maris? Potestatem enim habebat super omnes creaturas, quae in terra et quae in mari ». His auditis, credidit in Christum praefectus iussitque flagellari quadraginta homines non credentes magna flagellatione.

Vespere facto, hac die, quo tempore gallus cantat, adiit praefectus Mariam, cum duobus filiis suis. Et ecce alter ex filiis principis aegrotabat, et postquam venisset et pulsavisset ad portam domus Mariae, venit tunc apud eum una e virginibus quae Mariae ministrabant, et ei dixit praefectus: « Loquere de me ad sanctam *Virginem* ». Audiens autem sancta, iussit domus adaperiri portas. Ingressus praefectus ad eam, lacrimatus est et dixit ei: « O Mater Dei, salutem tibi dico et Christo qui ex te natus est, et salutem caelo quod thronum potentiae eius sustinet. Ecce, ex hac hora, te veneror credoque in Christum qui ex te natus est; extende dexteram tuam et benedic mihi, o Mater lucis, ora pro filio meo, ut a morbo sanetur, ora etiam pro urbe Roma. Ora adhuc pro me, ut salvus exeam ex hac terra, et vadam postea parentes meos invisere ». Deinde ma-

num suam extendens, sancta *Virgo*, benedixit et ei dixit: « Sede hic ». Cum autem vidisset praefectus apostolos stantes coram Maria, se prostravit ad pedes eorum dixitque eis: « Salvete et vos, o sancti Dei, quos ipse elegit per voluntatem suam, ut praedicaretis in nomine eius per universum mundum ». Et deinde benedixerunt apostoli praefecto, et illico sanatus est filius eius. Et abiit in civitatem suam Romam, multisque nunciavit omnia quae viderat apud Mariam. Erant autem ibi discipuli Pauli; hi vero scripserunt omnia prodigia et miracula, quae facta sunt super illis qui nomen Mariae invocabant.

Et cum illuxisset dies, dixit Spiritus sanctus apostolis: « Sumite p. 41. Mariam, foras educite Hierosolymis et adducite eam in viam, quae ducit quo sunt tres cavernae, et *ubi* est lectus ex parte orientis; tollite eam, et ponite super lectum. Et cantate super eam usquedum dies illucescit » et cum illuxit eduxerunt Mariam Hierosolymis. Convenerunt postea multi Iudaei dixeruntque Tāfonyā: « Scimus nos te firmum et robustum esse, nunc autem vade, tolle lectum Mariae, et proiice illum in terram, et corpus eius comburemus igne, ne sibi videantur discipuli nos hominesque Hierosolymorum vicisse ». Tunc surrexit Tāfonyā, et extendit manus suas ad frangendum lectum Mariae; at illo temporis momento descendit angelus Domini percussitque illum gladio igneo, et abscidit ambas manus eius ex humeris eius, *quae* affixae lecto remanserunt. Tunc plorans et ululans ad apostolos, dixit eis: « Misericordes et clementes estote erga me, et tu, Christe fili Dei, ignosce mihi secundum magnam misericordiam tuam ». Responderunt apostoli et dixerunt ei: « Ora apud Mariam, cuius voluisti effringere lectum ». Tunc dixit Tāfonyā: « O mater Domini, clemens esto erga me ». Respondens Maria dixit Petro: « Redeant ad eum sicut antea manus illius quae abscissae lecto adhaerent ». Et, assumptis manibus duobus quae abscissae fuerant, dixit Petrus: « In nomine Domini nostri Iesu Christi et in nomine Mariae sanctae, iterum esto sicut antea », et illico sanatus est. Sūmens deinde Petrus virgam, dedit illam Tāfonyā dixitque ei: « Abi, et ex hac hora manifesta potentiam Domini coram omnibus Iudaeis, et narra illis quid tibi fecerit Maria; hi quidem Mariam omnino odio habent et illi maledicunt dicentes: ‘ Haec quidem nos vicit in vita sua, nos vero comburemus corpus eius igne ’. Ignoraverunt enim infideles et nescierunt non

relicturum esse Dominum nostrum Iesum Christum corpus matris suae in hoc mundo. Ecce ergo dico vobis, o amatores Christi: omnes qui amant Mariam et celebrant commemorationem eius et credunt in filium eius, cum Iudaeis amicitia iungi nequeunt, sin minus, longe erunt ab amicitia Christi ».

p. 42. Et dum cantant apostoli super Maria in spelunca ecce locutus est Spiritus sanctus dixitque eis: « Sexto mense missus est Gabriel angelus ad Mariam matrem eius (Christi), ut laetum nuncium afferret ei de *Christo* qui nasciturus erat ex ea pro salute orbis universi; feria prima natus est Christus in *urbe* Bethleem ex Maria virgine, feria prima laudaverunt et magnificaverunt eum seniores et infantes; et etiam feria prima, veniet iterum iudicare vivos et mortuos; feria prima veniet, cum omni virtute caeli et terrae, ut transmigrare faciat Mariam et manifestet gloriam supra illam ». Et feria prima, venit Eva mater generis humani, Anna mater Mariae, Elisabeth mater Iohannis Baptistae, quae cum propius accessissent ad Mariam se prostraverunt submisse ad pedes eius et dixerunt: « Benedictus sit Dominus qui te elegit ut sis ei habitaculum gloriae eius ». Et cum videret Petrus venientes patriarchas ad Mariam, dixit mulieribus: « Recedite hinc ». Et deinde venit pater noster Adam et Seth filius eius, Noe et Sem se prostraverunt demisse ad pedes sanctae *Virginis*. Venerunt quoque alii patres, Abraham, Isaac, et Iacob, et David propheta, et se prostraverunt coram Maria. Et etiam venerunt prophetae turibula manibus tenentes, et se prostraverunt coram Maria. Tunc patefactae sunt portae caeli et inde exiit multitudo exercituum angelorum, quorum non erat numerus, ad videndam transmigrationem Mariae ex hoc saeculo. Et ecce venerunt Enoch et Moises et Elias, vecti curru igneo, stantes in medio caeli et terrae ut viderent descensum Domini nostri Iesu Christi. Et deinde venerunt duodecim exercitus ex archangelis, et numerus eorum duodecim myriades erat. Postea apparuit Dominus noster Iesus Christus sedens super currum Seraphim et Cherubim; accessit ad Mariam dum laudant magnificantque eum omnes creaturae. Et dixit sanctae *Virgini*: « O Maria ». Respondit illa dixitque ei: « Ecce ego sum, Domine meus et Deus meus ». Dixit ei Iesus: « Vide ergo magnam gloriam quae mihi data est a Patre meo »; et vidit Maria

mirabilem gloriam quam nemo narrare potest. Dixitque ei Dominus noster: « Iam introducam corpus tuum in paradisum, ut ibi maneat usque ad resurrectionem mortuorum et mandabo angelis ut tibi ministrent ». Deinde venerunt discipuli p. 43. ad Mariam dixeruntque ei: « O Mater lucis, ora pro mundo e quo exis, et pro omnibus qui commemorationem tuam facient sacrificiumque in nomine tuo offerent, pro illis qui credunt in Dominum qui misit Filium suum dilectum qui in te habitavit ». Et tunc oravit Maria et dixit: « Domine Deus qui habitas in caelo, per voluntatem tuam misisti filium tuum Iesum Christum et habitavit in sinu meo, te oro, te deprecor pro omnibus baptizatis qui facient commemorationem meam sacrificiumque mihi offerent, exaudi, o Domine, preces eorum, suscipe petitiones eorum, remove ab illis captivitatem et caedem et omnem afflictionem. Locorum ubi sacrificium mihi offerent serva incolumes segetes a muribus et locustis, a bruchis et grandine, a pruinis et attelebis; omnes aegrotantes qui invocabunt nomen meum sanentur a morbis suis, hi etiam quos daemon possidet et qui vexantur languoribus curentur in nomine meo. Et illos quoque qui peregrinantur in mari, navibus vecti, invocantes nomen meum serva incolumes ab undis et fluctibus maris et a violentia venti. Et propere reduc eos qui profecti sunt in terram longinquam et invocant nomen meum; et agri qui fructus producunt quos *homines* offerunt in sacrificium in nomine meo, sint benedicti, et vineae quarum fructus inservit ad sacrificium, in nomine meo sint benedictae; et omnes qui commemorationem meam faciunt sint benedicti in saecula saeculorum, amen ». Respondens deinde Dominus noster dixit ei: « Omnia quae petiisti a me, data sunt tibi; quicumque invocaverit nomen tuum, illi misericordiam et clementiam impertiar peccataque illius condonabo. Et si quis obtulerit sacrificium et oblationes in nomine tuo fumus boni odoris ex his adscendet usque ad caelum ante thronum Patris et ante thronum filii Iesu Christi in saecula saeculorum, amen ». Responderunt omnes creaturae et dixerunt: « Amen ». Postea iussit Dominus noster Petrum dixitque ei: « Loquere omnibus creaturis caeli et terrae, ut cantent psalmum cantici in gaudio et in exsultatione ». Hoc temporis momento exiit spiritus Mariae et adductus est in thesauros Patris. Tunc extendens manum suam Iohannes bene composuit *Mariam*

p. 44. et occlusit oculos eius; Petrus et Paulus bene composuerunt manus pedesque, attamen non ei exuerunt vestimenta quae erant super eam, nam Spiritus sanctus vestivit eam magna luce, quae non cognoscitur.

Deinde sustulerunt eam duodecim apostoli, et duodecim nubes lucidae portantes illos adduxerunt eos in paradisum. Et ecce praeibant Eva mater nostra, Anna mater Mariae, Elisabeth mater Iohannis Baptistae, et post eas veniebant Adam et Seth, Noe et Sem, et post eos Abraham et Isaac et Iacob, et post illos Enoch et Elias et Moyses, et post eos currus Domini nostri Iesu Christi. Et deinde duodecim apostoli portantes Mariam sanctam, adduxerunt eam ad paradisum deliciarum et ibi deposuerunt eam. Deinde reversae sunt omnes creaturae et redierunt in habitacula sua. Apostoli abierunt ad montem Sina, vecti nubibus, et nemo ex illis recessit, et ita oraverunt dicentes: « Laudamus te, Domine noster Iesu Christe, qui nos congregasti ex finibus mundi et fecisti dignos accipere benedictionem sanctae Mariae matris tuae antequam exiret ex hoc saeculo, sicut locutus fueras per os sanctum tuum et *sicut* dixisti nobis: ‘ Ecce ego do vobis potestatem ut conculcetis serpentes et scorpiones, et sedebitis super thronos duodecim et iudicabitis ex duodecim tribubus Israel eos qui in te non credunt neque in Mariam matrem tuam ’ ». Absoluta autem oratione, apostoli dixerunt: « Scribamus ergo omnia quae vidimus et cognovimus quod attinet ad transmigrationem Mariae ex hoc mundo; anno CCCXLV fuit transmigratio sanctae *Mariae,* et ecce statuimus et mandamus ut faciant commemorationem sanctae et benedictae Mariae ter singulis annis ». Et dies prima illius commemorationis est postera die Nativitatis Christi, quia hac die qui commemorationem eius fecerint, servabuntur a locustis quae operiunt terram, et benedicentur segetes *eorum,* et etiam per preces eius servabuntur reges a caede et non erunt inter eos inimicitiae nec profundetur sanguis hominum super terram. Et iterum iusserunt apostoli fieri commemorationem eius mense ayār, quia per preces eius non edent aves fructus terrae, nec vermes nec nigra tinea nec bruchi vastabunt fructus terrae, neque erit fames apud homines. Deinde
p. 45. dixit apostolis Spiritus sanctus: « Vobis dico, super terram in quam vult Dominus mittere plagam irae suae, ictu oculi, venient

locustae ». Propterea apostoli iusserunt mense ayār fieri supplicationes et orare homines ad Dominum ut serventur a calamitate. Et apostoli iterum iusserunt homines facere commemorationem Mariae die decima septima mensis naḫāsē, propter agros fructusque vineae et arbores quae ferunt fructus. Et etiam iusserunt apostoli, eos qui oblationes afferre volunt, ad vespertinum tempus farinam et triticum afferre et haec pura servari in ecclesia, usque ad tempus matutinum. Et *iusserunt* quoque sacerdotes super ea orare dicentes: « O Mater Dei, audi preces eorum, qui commemorationem nominis tui faciunt, excipe hoc sacrificium quod tibi offerunt ». Et dum sic orant sacerdotes, veniet Maria mater lucis et benedicet huic sacrificio et illis qui in fide accipient ex ea mensa *eucharistica,* in aeternum, amen. Postquam perfecerunt apostoli haec mandata, venit ad eos vox e caelo dicens: « Sumat unusquisque vestrum exemplum epistulae commemorationis Mariae et abeat in terram suam ». Et venerunt deinde ad eos currus nubibus *formati* et singulos rapientes deduxerunt in regionem eorum, et mortui redierunt in sepulcra sua. Post hoc autem venit Dominus noster Iesus Christus ad Mariam in paradisum dixitque ei: « Vide iam bona quae Deus paravit illis qui diligunt eum ». Elevatis deinde oculis, suspexit sancta *Virgo* habitationem sanctorum pulcram et ornatam nimis. Et etiam vidit habitationem martyrum et coronas super capita eorum; ibi erant arbores iucunde olentes quae et odorem aromatis suavis exhalabant. Tunc cepit Dominus noster fructum ex his arboribus deditque Mariae, et deinde dixit ei: « Adscende ut videas quod in caelo sit ».

Et adscendit sancta *Virgo,* et ecce vidit aquam super tertium caelum et erat desuper Ierusalem caelestis. Et iussit Dominus noster solem consistere ad portam caeli et lucem eius intrare in paradisum, cuius *Ierusalem* fundamentum est in terra, et parietes usque ad caelum pertingunt; et exibant ex illo quattuor flumina: Euphrates, Tigris, Giyon et Ēfēson (Phison). Quo
enim tempore fuit diluvium super terram, non sivit potentia p. 46.
Domini illud ascendere prope paradisum. Dominus noster autem Iesus Christus insidebat currui lucido super solem. Et ecce vidit Maria thesauros Domini; thesaurum grandinis et pruinae, thesaurum roris et vaporis; thesaurum frigoris, nivis

et pluviae; thesaurum fulguris et tonitrui. Et etiam vidit loca ubi sunt omnia bona, et locum ubi stat Elias et orat in primo caelo. Et etiam vidit, in secundo caelo, angelos extendentes alas suas et oculis suspicientes in altum neque cessantes laudare vocibus suis dum dicunt: « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth ». Et rursum vidit in tertio caelo duodecim parietes et in eis duodecim portas cum nomine duodecim apostolorum et ad singulas portas stabant singuli apostoli cum exercitu Angelorum et Potestatum qui laudes dicebant. Et per maiorem portam erat *aditus* Ierusalem caelestis, et ibi vidit stantes Abraham, Isaac et Iacob, et David prophetam, se prosternentes coram rege magno Iesu Christo. Postea abiit videre Ierusalem caelestem et cum pervenisset ad primam portam, venerati sunt eam Angeli; ad secundam portam laudaverunt eam Seraphim, ad tertiam portam exaltaverunt eam Cherubim, ad quartam portam venerati sunt eam exercitus Potestatum, ad quintam portam glorificaverunt eam tonitrua et fulgura, ad sextam portam clamaverunt coram ea Angeli dicentes: « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth »; ad septimam portam venerata sunt eam lumina ignis; ad octavam portam venerati sunt eam pluviae, ros et vapor; ad nonam portam venerati sunt eam Michael et Gabriel; ad decimam portam glorificaverunt eam lumina solis et lunae et stellarum; ad undecimam portam venerati sunt et magnificaverunt eam omnes apostoli, ad duodecimam portam exaltaverunt omnes potentiae Domini; ibi vidit eum qui ex ea natus est. Sic intravit Maria Ierusalem quae est in caelo. Tunc se prostravit
p. 47. coram Deo Patre, et deinde vidit sancta *Virgo* Patrem sanctum, Filium dilectum et Spiritum sanctum Paraclitum, dum glorificatur Pater a Filio et Filius a Patre et Spiritus sanctus a Patre et Filio.

Et postea ostendit Christus Mariae secreta abscondita, quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in corde suo cogitavit homo, quae praeparavit Dominus illis qui amant eum et in nomine eius fidem habent, et ultima die manifestabit eis gaudium quod nec finem nec terminum habet. Et etiam ostendit Mariae locum ubi orabat Enoch; et deinde elevavit Maria oculos et vidit habitationes innumerabiles quae fulgebant nimis, et inde odor turis suavis et bonus exibat;

strepitus sonitus tubae audiebatur in illis habitationibus et multi homines et feminae ibi habitabant. Tunc dixit Maria: « Dic mihi, Domine meus et Deus meus, quinam sint qui in his habitationibus commorantur? » Respondit Dominus et dixit ei: « Iusti et boni illi sunt; ecce lux fulget super eos propter magnitudinem eorum, et hi exspectant gaudium et laetitiam ultimae diei ». Et etiam vidit terram tenebrarum ex qua exibat fumus, cuius odor foetidus, magnaque flamma ignis ardebat in illa et multitudo virorum et feminarum stabant prope has tenebras et plorabant et clamores edebant. Locuta est Maria dixitque *Filio*: « Dic mihi Domine meus, quinam sint isti stantes prope terram tenebrarum ». Locutus est Dominus noster et dixit: « Hic locus est gehenna, et qui prope eam stant, sunt peccatores qui exspectant iudicium, *poenam* quae eos decet; in hunc ignem mittentur etiam omnes qui noluerunt mandata mea observare ». Tunc audivit Maria sancta vocem bonorum dicentium: « Laus tibi, Domine noster et Deus noster Iesu Christe, qui multum pro pauco rependes iis qui te invocant fidemque in te habent »; Maria vero vocem bonorum audiens laetata est. Et iterum audivit vocem peccatorum clamoremque horum qui stabant prope tenebras dum dicunt: « Miserere nostri et clemens esto nobis, Iesu Christe, fili Domini vivi, cum veneris iudicare vivos et mortuos ». Et cum haec audivisset Maria, p. 48.
contristata est valde et dixit: « Domine meus et Deus meus, miserere illorum et clemens esto peccatoribus, noli negligere opus manuum tuarum cum veneris iudicare illos; audivi enim ploratus et ululatus eorum et constristata sum propter eos ». Et tunc assumpsit Dominus noster Mariam et introduxit eam in paradisum deliciarum cum omnibus habitantibus caeli.

Et ecce narravit Maria Iohanni iuniori omnia quae ostenderat ei Dominus noster Iesus Christus et dixit ei: « Serva istam narrationem, quae tibi manifestavit magister tuus, usquedum revelata sit tempore constituto his qui fecerint commemorationem meam et invocaverint nomen meum; quia ultima die multiplicabitur tristitia super homines, et erunt caedes et timor et fames propter multa peccata malasque actiones. Hac die multiplicabuntur afflictiones super terram, commovebitur potentia caeli et mutabuntur dies, apparebunt signa et prodigia, invadet corruptio homines et venient magni dolores super

eos. Hac die veniet filius unicus Iesus Christus, nec reperietur fides super terram nec bonae actiones ». Haec omnia revelavit Mariae Dominus noster Iesus Christus, Maria vero haec narravit Iohanni minori. Et postea dixit Dominus noster Mariae: « O beata et benedicta *Virgo*, quicumque invocaverit nomen tuum feceritque commemorationem tuam a periculo liber esto ». Respondit Maria dixitque Christo: « Certe dixisti, Domine meus et Deus meus, sicut narravit os Patris sancti tui et vox tua vivificans, quodcumque enim mihi promisisti super terram, mihi datum est et quicumque in te crediderit, vivet in saeculum et hereditatem regni caelestis accipiet quod tu parasti iis qui te amant, et etiam qui credunt te esse Christum qui ex me natus es per voluntatem tuam, novissimo tempore. Propter amorem primi Adam, creaturae tuae, sit laus nomini tuo vivo ex hoc nunc usque in saecula saeculorum, amen, amen, amen. Ita sit ».

Absoluta est hic narratio sanctae Mariae, auxilio Spiritus sancti. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto, in saecula saeculorum, amen et amen.

p. 49. At praecipue illi qui hunc librum scribere iussit, Tanse'a Krestos, propter amorem Mariae matrem lucis, ut spes sit omnibus fidelibus qui illum audiunt, nunc, o Maria, concede ut sedat ad partem dexteram, tempore novissimo, cum regnabit Christus super iustos audiatque verbum benedictionis cum benedictis et electis; protege illum manu dextra, nunc a Satana et in posterum ex afflictione mali, et fac eum reclinare in loco Armagēdon, amen, cum scriptore eius *libri* et lectore et auditoribus in saecula saeculorum, amen, amen; fiat, fiat.

III

APOCALYPSIS

SEU

VISIO MARIAE VIRGINIS

INTERPRETATUS EST

MARIUS CHAINE.

Opellae argumentum est visio quam Beata Maria Virgo de hominum post mortem statu habuit. Nube sursum elevata, Virgo, comitante et interpretante Filio ipsius, loca et beatorum et damnatorum varia perlustrat et qualia sint horum supplicia qualesque illorum beatitudines cognoscit. Sed quia haud decorum esset, si ipsa Virgo visionem scriberet, auctor ita rem instituit ut Maria revelationem Iohanni apostolo narraret eique libri scriptionem commendaret.

Textus graecus, et quidem primigenius, huius tractatus extat in variis codicibus [1], sed nondum, quod sciam, in lucem prodiit. E graeca lingua in arabicam translatus est, et ex arabica in aethiopicam.

Aethiopicam versionem nunc prima vice typis mandamus, et eius latinam interpretationem tradimus.

[1] Cfr. FABRICIUS, *Bibliotheca graeca*, ed. Harless, t. IV, p. 826; TISCHENDORFF, *Apocalypses apocryphae*, Prolegomena, p. XXVII.

APOCALYPSIS SEU VISIO MARIAE VIRGINIS. p. 53.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Dei unici, Christus dominus meus et Deus meus, spes mea, domina Maria Virgo intercedant pro me.

Tractatus quem explanavit beatus Iohannes, filius Zebedaei, de excellentia et gloria dominae nostrae sanctae Virginis. Oratio illius descendat super nos; amen.

Dixit Iohannes filius Zebedaei, quem eximie dilexit Dominus propter puritatem eius quemque eximie dilexit domina nostra Maria, sicut ille filium eius dilexerat: Locuta est *Maria* et dixit mihi:

Audi, o Iohannes, mysterium secretum et stupendum, quod menti numquam fuit compertum nec intelligentiae notum nec oculo manifestum. Illud mihi revelavit filius meus dilectus, dominus meus, et Salvator meus, Iesus Christus.

Dum orabam in Golgotha, hora sexta, tempore meridiano, in feria sexta, nubes advenit quae assumpsit me et adscendere me fecit supra tertium caelum et posuit me in medium finium caeli. Et apparuit filius meus et dixit mihi: « Salve tibi, Maria, mater mea; salve tibi, virgo genitrix mea; salve tibi habitatio Domini. Quia a te exivit flumen salutis, ego tibi secretum mysterium revelabo ». Et respondens dixi ei: « Domine meus et Deus meus, fili et rex meus, fiat voluntas tua ». Respondit dixitque mihi: « Adspice terram inferiorem ». Et adspexi et vidi vanum esse totum saeculum vanumque universum genus humanum praeteriens, sicut dixit rex David: ' Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praetereunt '[1]; et etiam: ' Homo sicut foenum dies eius, tanquam flos agri p. 54. efflorebit, quoniam spiritus pertransibit in illo et non subsistet, et non cognoscit amplius locum suum '[2]. Et interrogavi filium meum et dixi ei: « An in vanum gloriatur genus humanum dum sic praeterit? » Respondit mihi et dixit: « Nonne audivisti quod dixit David: ' Quid gloriatur qui potens est in iniquitate sua et tota die iniustitiam cogitat. '[3]; et etiam: ' Deficient et peribunt sicut fumus, et talis est vita hominum '[4] ».

[1] *Ps.* CXLVIII, 4. — [2] *Ps.* CXII, 15-16. — [3] *Ps.* XLI, 3. — [4] *Ps.* LXVII, 3.

Interrogavi filium meum et dixi ei: « Desidero videre quomodo e corporibus suis exeunt animae iustorum ». Respondit mihi et dixit: « Expecta paullulum, et ego tibi hoc ostendam ». Et postea vidi duodecim angelos lucis cum ligno crucis in manibus eorum, et supra pectus eorum erat signum filii Dei, et in manibus turibula aurea; ad animam cuiusdam iusti recipiendam descendebant. Et venerunt angeli lucis et angeli tenebrarum ad animam istam; sed in hac quae non erat eorum nihil invenerunt angeli tenebrarum et reliquerunt eam. Tunc accedentes eo tempore angeli lucis hanc animam circumdederunt et coronaverunt ut eam assumerent e corpore suo, et ei dixerunt: « O anima, exi in pace, gaude et laetare, anima pura et lucida, ecce enim hic est creator tuus; omnes nos propter te laetamur, et creator tuus propter te exultat. Eia, eamus in civitatem tuam: nonne audivisti quod dixit David: ‘ Laetatus sum quia dictum est mihi: in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem, Ierusalem quae aedificatur ut civitas ’ [1]; et etiam dixit: ‘ Melior est dies una in atriis tuis super milia ’ [2]. O anima pura, tu enim hoc p. 55. saeculum caducum vicisti et diabolum omnesque pravos exercitus eius ». Et angelus, qui semper custodierat eam, laetabatur dicens: « In paucis diebus dedit tibi requiem, recordata es Davidis prophetae: ‘ Paucitatem dierum meorum nuntia mihi, ne revoces me in dimidio annorum meorum, in generationem et generationem anni tui ’ [3]; et etiam recordata es Pauli dicentis: ‘ Praeterit enim habitatio huius saeculi, et qui manducant sint tanquam non manducantes, qui bibunt tanquam non bibentes, qui gaudent tanquam non gaudentes, qui habent tanquam non habentes, praeterit enim habitatio huius saeculi ’ [4]. Horum omnium recordata es; sprevisti hoc saeculum veterascens; contempsisti quod in corruptionem et perditionem evadit; illud reputasti ‘ sicut pannum menstruatae ’ [5], sicut sordes et stercus habuisti, et dilexisti laetitiam aeternitatis quae stabilis et incorruptibilis permanet. Euge, eamus ad creatorem tuum, et Spiritus gaudebit propter te ». Et angeli impietatis venerunt ad animam istam scrutandam, et cum non invenissent in ea portionem suam dereliquerunt eam et abierunt. Descenderunt

[1] *Ps.* cxxi, 1-3. — [2] *Ps.* lxxxiii, 11. — [3] *Ps.* ci, 24-25. — [4] *I Cor.*, vii, 29-31. — [5] *Is.*, lxiv, 6.

tunc angeli cum coronis splendentibus, torques aureas portantes cum diadematibus aureis, argenteis et hyacinthinis duodecimque lampadibus ardentibus quarum lux septuplo magis quam sol splendebat. Et Christus et Paracletus descenderunt usque ad caelum, et ego descendi quoque ad salutandam istam animam. Angeli vero lucis laetum clamorem tunc dederunt, et ego iubilans cum illis, imitata sum David dicentem: « O vos omnes gentes, plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis » [1]; et item: « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum » [2]. Et adduxerunt istam animam coram Domino et ei dixerunt: « Gaude et laetare, o anima pura, ecce enim hic est Dominus creator tuus, in conspectu illius qui te creavit, prosterne te et adora eum ». Et haec anima sese prostravit coram Domino Deo et creatore suo, et angelus qui semper custodierat eam allocutus est Dominum p. 56. sic dicens: « Iam narravi tibi opera huius animae, sed nunc retribue ei, Domine, secundum iustitiam tuam ». Et respondit princeps iustitiae dixitque huic animae: « Salve tibi, anima pura, lucida et iucunda, sicut olim te creavi, ecce nunc apud me venisti sicut rosa, et odorem incensi paradisi mihi attulisti. Tu quae ad iram non me concitasti, ego ad iram non te concitabo; tu quae opprobrio me non affecisti, ego ignominia non te afficiam: tu quae mihi non mentita es, ego tibi non mentiar. Noli contristari, corpus quidem tuum resurgam, in die novissimo, cum illo redibis sicut olim permansisti et cum eo in terra laetitiae delectaberis ». Et dedit huic animae vestimenta plus quam sol resplendentia, quae nec texta nec consuta. Tribuit quoque illi coronam lucidam et splendentem plus quam nonaginta octo soles et lunae; et vocavit Deus Pater archangelum Michael et dixit ei: « Suscipe hanc animam et duc eam in hortum laetitiae, in sinum Abraham, Isaac et Iacob, et in sinum omnium sanctorum; illic in deliciis vivet et voluptatibus fruetur donec veniam iterum iudicare universum mundum in novissimo die. Tunc revertetur, sicut olim, cum corpore suo et mercedem suam cum omnibus sanctis accipiet ». Et cum hoc audivissent angeli et archangeli milia milium numero, clamaverunt dicentes: « Revera rectum est iudicium tuum, Domine, et sententia tua tota est secundum iustitiam » [3]. Et lae-

[1] *Ps.* xlvi, 2. — [2] *Ps.* cxv, 15. — [3] *Ps.* cxviii, 137.

tati sunt omnes caelestes exercitus, et ego cum illis laetata sum, sicut dixit propheta David: « Iustitiae Domini rectae laetificantes corda »[1]; et etiam: « Qui laboraverit in saeculum vivet in aeternum et corruptionem non videbit »[2]. Et deduximus animam istam, et in paradisum introduximus eam; obviam ei occurrerunt iusti et martyres, Abraham, Isaac et Iacob, et omnes exercitus sanctorum, et Adam pater noster et Eva mater nostra cum illis. David psallebat et citharisabat in medio eorum: et huic animae dicebant: « Salve tibi, anima
p. 57. pura, euge, intra in vitam aeternam ubi laetitia est quae non habet tristitiam nec afflictionem, sicut dixit David propheta: 'Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi'[3] ». Et abiit haec anima cum illis; nos autem regressi sumus in via nostra, et quidam nostrorum dicebant: « Alleluia! » alii cantabant: « Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus sabbaoth, pleni sunt et repleti sunt caeli et terra sanctitate gloriae tuae »; alii ex nostris clamabant: « Gloria Patri qui regnum caelorum huic animae dedit, adoratio sit Filio qui eam a diabolo arripuit, gratiarum actio sit Spiritui sancto qui hanc servavit e manibus inimicorum deduxitque in regnum caelorum ». — Salva nos pariter, o Maria!

Et locuta sum cum filio meo et dixi ei: « Ostende mihi animam peccatoris quando haec exibit e corpore suo ». Respondit mihi filius meus et dixit: « Expectà paullulum, et ego hoc tibi ostendam ». Et adspexi in inferiora terrae et vidi angelos lucis angelosque tenebrarum venientes simul ad animam istam peccatricem. Scrutatus est opera eius angelus lucis et cum portionem suam in illa non invenisset hanc animam dereliquit et recessit. Adveniens autem angelus tenebrarum scrutatus est illam et portionem suam apud eam invenit. Paracletus spiritus iustitiae exiens ab hac anima recessit, et angelus Temliaqos in sinum eius penetravit. Tunc huic animae caelum et terra fuerunt angusta; posita sunt enim ante oculos eius omnia crimina et peccata quae ab infantia fecerat usque ad terminum vitae suae. At propere non abscisa est anima e corpore suo; usque ad horam tertiam aut sextam eiulavit gemuitque infelix anima ista, iuxta verba David prophetae: « Mors peccatorum

[1] *Ps.* xviii, 9. — [2] *Ps.* xv, 10. — [3] *Ps.* cxiv, 7.

pessima »[1]; et etiam: « Non resurgent impii in iudicio »[2]. Et exivit anima ista e corpore suo, et deduxerunt eam virgis fulmineis propellentes dicentesque ei: « Ad quem ibis, anima infelix? Ecce enim Dominum Deum tuum oblita es et Salva- p. 58. toris tui immemor fuisti! ». [Et hanc animam deduxerunt], statuentes eam sicut bovem pinguem pro sacrificio, et in conspectum regis traxerunt eam. Dixit tunc anima ista: « Hoc iudicium ego vero ignoravi; si unquam hoc cognovissem, somnum capiti meo non dedissem, nec cibum manducassem neque potum bibissem. Quietis paullulum, quaeso, concedite mihi; genua mea viribus deficiunt propter longum iter. Quietis paullulum concedite mihi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti! » Responderunt dixeruntque ei: « Tu es qui prius Patrem et Filium et Spiritum sanctum abnegasti ». Et iterum dixit: « Propter Mariam, Dei genitricem, quietis paullulum concedite mihi! » [Et responderunt ei:] « Sed tu prius Mariam Dei genitricem abiurasti: haec quidem animam impuram odit: est enim pura inter puros et supra caelum et terram exaltata est ». Et cum sic locuta esset anima ista gemui multum et ploravi, filioque meo dixi: « Parce *ei* mea caussa, fili mi, non est enim homo sine peccato neque lignum quod non sit fumans; nemo purus est nisi tu, in caelo et in terra ». Respondit filius meus et dixit mihi: « Noli flere, mater mea, illum non decet misericordia qui misericordiam super terram non fecit; haec res mihi impossibilis est ». Et respondens filio meo dixi ei: « Fiat voluntas tua ». Sed postea altius eiulans clamavit haec anima dicens: « In nomine Mariae, matris lucis, quietis paullulum concedite mihi! » Et cum haec verba audissem gemui et ploravi. Sed tunc filius meus audiens gemitus meos multos, dixit: « Quietis paullulum concedite illi in nomine Mariae matris meae ». Et quietis paullulum huic animae concesserunt. Deinde assumentes eam deduxerunt dicentes: « Vae tibi, anima infelix, vae tibi; ad quem ibis, ad quem confugies, ad quem progredieris? » Et adduxerunt illam ad angelum impietatis et obviam ei venerunt spiritus impudicitiae et spiritus mendacii, p. 59. et etiam obviam ei advenit spiritus ebrietatis. Hanc animam scrutati, cum portionem suam in ea invenissent, dixerunt illi:

[1] *Ps.* xxxiii, 22. — [2] *Ps.* i, 5.

« Vae tibi, anima infelix, vae tibi, auderesne adire caelum? » Et venerunt angeli et exercitus angelorum et in medium eorum hanc animam introduxerunt et clamaverunt omnes dicentes: « Removete a nobis hanc animam impuram. Ex quo venit ad nos, odor *malus* afflatusque eius ad nos pervaserunt ». Et omnes una voce clamantes dicebant: « Vae tibi, anima infelix! » Et adscendere in caelum fecerunt illam dixeruntque ei: « Ecce enim hic est creator tuus qui te creavit in similitudinem suam, manibusque suis te plasmavit, prosterne teipsam et adora eum ». Et haec anima sese prostravit et adoravit, et angelus qui semper eam custodierat Deo Patri dixit: « Domine, suscipe hanc animam cuius custodiam mihi dedisti, et iudica illam secundum opera manuum eius ». Respondit Pater et dixit illi: « O anima, quare iniuria me affecisti? Nonne, o tu quam ex iustis separavi, solem et lunam et stellas paravi pro te? nonne hiemem et aestatem ordinavi pro te? nonne cibum nutritionis et aquam potationis creavi pro te? nonne pro te pluviam descendere feci? nonne pro te delicias aeris et fructus creavi? nonne tibi bonos dies ostendi malosque dedi? Quare contempsisti dies salvationis tuae? » Et dixit illa anima: « Peccavi, Domine, peccavi; equidem non cognovi haec futura esse, nescivi hic futurum esse tale iudicium, et Scripturas quoque ignoravi ». Respondit Dominus dixitque ei: « In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum [1]. Scripturae et sacerdotes erant tecum, o anima, cur illos non audisti? cur antea viaticum tuum non parasti pro tempore exitus tui? magis quam lucem tenebras dilexisti; at 'qui misericordes non fuerunt misericordiam non consequentur [2]' et qui clementes non fuerunt clementiam non consequentur. Ducite nunc illam ad Satanam patrem eius; tradite eam Temliakos, angelo gehennae, ut ponat eam in maxima p. 60. gehenna. Ibi erit donec veniam iterum iudicare omne saeculum in novissimo die, tunc redibit ad corpus suum prius, et descendet in magnum supplicium ». Et cum haec verba audivisset anima ista ploravit amare dicens: « Vae mihi, infelix, melius mihi esset si nata non fuissem! [3] 'maledicta sit dies qua nata sum' [4] ». Et cum sic locuta esset, ploravimus omnes et deflevimus, et angeli caeli quoque coronas suas deposuerunt

[1] II *Cor.*, XIII, 1; MATTH., XVIII, 16. — [2] Cf. MATTH., V, 7. — [3] MATTH., XXVI, 24. — [4] IER., XX, 14.

sicut dixit propheta: « Creastine in vanum genus humanum »? et etiam Marcus: « Quid proderit homini, si lucretur mundum totum et detrimentum animae suae faciat? aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? [1] ».

Et locutus est filius meus et dixit mihi: « Eia, eamus in paradisum, et ego tibi ostendam ubi sedent animae iustorum et electorum ». Et me fecit ascendere et ingredi in altam abyssum cuius profunditas non manifestatur, et ibi vidi mansiones quarum splendor quinquagies septuplo magis quam sol et luna splendebat. Accessit ad me quidam senex, qui veniens me salutavit et dixit mihi: « Benedicta es tu, o Maria, et benedictus fructus ventris tui, qui ad nos te adduxit! Beati oculi mei qui te viderunt! » Et interrogavi filium meum dixique ei: « Quis est hic qui me salutavit? » Et respondit: « Enoch est nomen eius ». Deinde venit quoque ad me homo quidam huius regionis, qui me salutavit dicens: « Benedicta es tu, o Maria, et benedictus fructus ventris tui, beati oculi nostri qui te viderunt! » Et interrogavi filium meum et dixi ei: « Quis est qui me salutavit? » Et respondit mihi dicens: « Elias est nomen eius ». Et postea in hac aula vidi magnam columnam auream a fundamento usque ad summum inscriptione plenam: tota inscripta erat, et elevatio eius cubitus angeli circiter quindecim aequabat [2]. Hanc videns interrogavi filium meum et dixi ei: « Quid est quod video super hanc columnam scriptum minutissima scriptura? » Respondit et dixit mihi: « Super hanc columnam inscribuntur nomina sanctorum ». Et interrogavi eum dicens: p. 61. « Estne hic tantum effigies faciei eorum? » Et respondit mihi: « Hic non est tantum effigies faciei eorum sed toti inscribuntur ». Et interrogans eum dixi: « An antequam aut postquam nati sunt super hanc columnam inscripti sunt? » Et respondit mihi dicens: « Antequam creati essent pater et mater eorum, Adam et Eva, iam scripti erant. Et etiam vidi in illa regione columnam igneam amplius inscriptam quam columna aurea, et interrogavi filium meum dixique ei: « Quinam sunt qui inscribuntur super hanc columnam? » Et respondit mihi dicens: « Isti sunt peccatores qui super hanc columnam inscripti sunt ». Et interrogans eum dixi: « An antequam nascerentur aut post-

[1] MARC., VIII, 36-37. — [2] *Apoc.*, XXI, 17.

quam nati sunt inscripti sunt super hanc columnam? ». Et respondit dixitque mihi: « Non audivisti quod dicit Scriptura: ' Hi ante iudicium scribuntur, illi antequam nati sint? ' »

Et postea deduxit me in hanc regionem, et vidi civitatem septuplo magis quam sol et luna splendentem. Et ibi vidi cum multis fructibus et uvis, vineam et arbores quarum unaquaeque decem milia ferebat fructuum. Et etiam vidi palmas et nuces et amygdalos et mandragoras ac quadraginta milia et sexaginta septem arbores quarum suavis odor cor abripiebat. Et interrogavi filium meum et dixi: « Cuius est ista habitatio? » Et respondit mihi: « Hic habitat vir qui cum muliere sua mansit et mulier quae cum viro suo habitavit et qui in puritate inventi sunt. Hic etiam est vir qui mulierem alterius non cognovit et mulier quae cum alio viro non congressa est, ambo permanentes in puritate. Hi vero postea hic adducuntur et datur eis merces eorum, sicut ait Matthaeus evangelista: ' Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt '[1] ».

Et deinde, e regione huius fluminis vidi flumen vini: hic aderant pater noster Adam, Abel, Seth, Malalek, Caïnan, et
p. 62. Iared, et Arfaxad, et omnes patres sancti, Abraham, Isaac et Iacob, Tare et Rague. Et omnes cum me vidissent sese prostraverunt et salutaverunt me; et accedit ad me Adam et salutavit me dicens: « Salve tibi, o Maria, renovatrix agni; beati oculi mei qui te viderunt! » Et venit ad me primogenitus mortuorum et sese prosternans salutavit me dicens: « Salve tibi, o Maria, hostia pura, beati oculi mei qui te viderunt! » Et venerunt ad me omnes exercitus sanctorum, unusquisque secundum familiam suam et dignitatem suam; sese prostraverunt et salutaverunt me dicentes: « Euge, euge, salve, o Maria, pulcra columba, beati oculi nostri qui te viderunt! »

Et deinde adscendere me fecit in regionem istius fluminis, et deduxit me ad flumen mellis. Hic erant Moyses, Aaron et Amos, Isaias, Nahum, Malachias, Sophonias, Aggaeus, Zacharias filius Barachiae, Ieremias, Elias, Elisaeus, Samuel, Iohannes Baptista, Osee, Ioël, Mildad, Eldad, Michaeas et omnes filii prophetarum, Ionas, Esdras, et etiam feminae sanctae, Anna prophetissa et Elisabeth erant cum eis. Et aliae feminae, una-

[1] Matth., v, 8.

quaeque in loco suo erant, cum Eva matre nostra, Rachel, Sara, Rebecca, et omnes feminae sanctae seorsum erant in uno loco. Accessit ad me Moyses, princeps prophetarum, et sese prosternans salutavit me et dixit: « Salve, o Maria, lana candida; beati oculi mei qui te viderunt! » Et venerunt ad me omnes prophetae, unusquisque secundum dignitatem suam ordinemque suum; et sese prosternantes me salutaverunt dicentes: « Beata es tu, Maria, thalamus immaculatus, beati oculi nostri qui te viderunt! » Et Eva accessit ad me et sese prostravit, salutavit me et dixit: « Beata es tu, o Maria, pura et lucida, beati oculi mei qui te viderunt! » Et postea venerunt ad me omnes feminae, quae sese prostraverunt et me salutaverunt et dixerunt mihi: « Beata es tu, o Maria, et benedictus fructus ventris tui, beati oculi nostri qui te viderunt! »

Et deinde deduxit me e regione huius fluminis, et adduxit p. 63.
me ad flumen lactis ubi erant centum et quadraginta quattuor milia puerorum civitatis Bethleem ab Herode occisorum, qui nec carnem suam nec vestimenta sua inquinaverunt in immunditia huius saeculi praetereuntis. Et cum me vidissent, venerunt ad me e longinquo et obviam mihi occurrerunt, sese prostraverunt et salutaverunt me: « Benedicta es tu, o Maria, gloria virginum! beati oculi nostri qui te viderunt! »

Et interrogavi filium meum et dixi ei: « Qui sunt isti qui habitant prope illud flumen vini? » Respondit dixitque mihi: « Habitantes prope hoc flumen vini sunt illi qui amaverunt peregrinum in vita sua, qui dilexerunt proximum suum sicut seipsos, qui satiaverunt esurientes de cibo suo, qui potaverunt sitientes de poculo suo et qui vestiverunt nudos. Hi vero cum exeunt ex hoc saeculo praetereunte, adducuntur ad Dominum ut coram eo se prosternant et colant eum; expletis autem prostratione et salutatione, deducuntur ad flumen vini; hic collocantur et mercedem accipiunt. Sancti autem veniunt e longinquo, occurrunt obviam eis, illos salutant et in ore osculantur, quemadmodum iampridem cognoscentes eos et amant sicut seipsos, et habent eos velut consanguineos et velut fratres suos, eisque dicunt: ' Vicistis quidem hoc saeculum praeteriens, adversus diabolum praevaluistis et exercitus pravos eius ignominia affecistis, valentes revera estis vos in operibus iustitiae, intrate in civitatem nostram et gaudete nobiscum ' ». Et inter-

rogavi filium meum et dixi: « Quinam sunt qui habitant prope flumen mellis? » Respondit mihi et dixit: « Qui protenderunt manus suas ad miseros, sicut dixit David propheta: ‘ Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; a die mala liberabit eum Dominus: Dominus conservabit eum et vivificabit eum et beatum faciet eum in terra ’ [1]; et etiam Matthaeus evangelista: ‘ Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur ’ [2]; qui redemit oppressum, qui pater et mater fuit orphanis, qui protector fuit innuptae, qui viduam indigentem saturavit, qui sola-
p. 64. tio affecit afflictum, qui consolatus est moestum, qui visitavit aegrotum et benigne allocutus est captivum, sive paganum, sive iudaeum, quia omnes sunt creaturae Dei, nonne vero eodem luto figulus conficit dimidiam partem in honorem et dimidiam partem in contumeliam? Sicut dixit David: ‘ Iudicate egeno et pupillo, humilem et pauperem iustificate; eripite pauperem et egenum de manu peccatoris liberate ’ [3]; et etiam dicit evangelista: ‘ Qui persecutionem patiuntur, ipsorum est regnum caelorum ’ [4], sicut testatur sapientia Salomonis: ‘ Foeneratur Domino qui miseretur pauperis ’ [5]. Cum autem exeunt ex hoc saeculo adducuntur ad Dominum ut coram eo sese prosternant et colant eum. Dein, expleta adoratione huc ad flumen mellis adducuntur, et tunc veniunt ad eos filii prophetarum, occurrunt obviam eis et dicunt: ‘ Vicistis saeculum praeteriens, adversus diabolum praevaluistis et omnes exercitus eius; euge, intrate in civitatem nostram et congaudete nobiscum ’ ». Et interrogavi filium meum et dixi: « Quinam sunt qui habitant propre flumen lactis? » Et respondit mihi dicens: « Hi sunt qui puros sese servaverunt contra impuritatem, qui a nativitate sese custodierunt ab inquinamento mulierum non solum corpore sed etiam mente, sicut dixit evangelium: ‘ Quicumque concupierit mulierem iam moechatus est eam in corde suo ’ [6]. Et hic sunt etiam mulieres quae servaverunt virginitatem suam sine macula. Et cum exeunt ex hoc saeculo adducuntur ante Dominum ut coram eo se prosternant et colant eum, deinde adoratione expleta, introducuntur ad flumen lactis. Hi autem pueri occurrunt obviam eis e longinquo et dicunt: ‘ O vere strenui, vicistis quidem saeculum prae-

[1] *Ps.* XL, 3. — [2] MATTH., V, 7. — [3] *Ps.* LXXXI, 3. — [4] MATTH., V, 10. — [5] *Prov.*, XIX, 17. — [6] MATTH., V, 28.

teriens, pertransivistis fluctus eius; euge, intrate in regionem nostram et congaudete nobiscum ’ ».

Et postea ostendit mihi filius meus terram candidam, quae septuplo magis quam sol et luna et stellae lucebat, totaque auro p. 65.
et argento ornata erat. Et interrogavi filium meum et dixi: « Quorum est haec habitatio et haec regio? » Et respondit mihi: « Illius est qui a contumelia servavit linguam suam, qui in se non habuit insolentiam nec superbiam, qui nec ebrietatem nec invidiam habuit, qui non fuit superbus nec dissolutus, qui proximum suum temere non vituperavit, qui fratri suo aut proximo non maledixit, qui non invidiam neque vindictam apud se habuit, qui nec ultionem unquam in corde suo sedere fecit, qui mitis sicut columba fuit, ut ait Lucas evangelista: ‘ Dico vobis: Omnis qui dicit verbum in filium hominis remittetur ei; illi autem qui in Spiritum sanctum blasphemaverit non remittetur neque in hoc saeculo, neque in futuro ’ [1]; et similiter iterum: ‘ Qui enim se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur ’ [2]. Et etiam dixit Matthaeus evangelista: ‘ Beati mites, quoniam ipsorum est regnum caelorum ’ [3]; et etiam: ‘ Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae ’ [4]; et David dixit: ‘ Detrahentem secreto proximo suo persequebar, cum superbo oculo et insatiabili corde non edebam [5] ’. Et etiam in Evangelio: ‘ Qui irascitur in vanum fratri suo, reus est iudicetur in iudicio ’ [6]. Illi autem cum a saeculo exeunt, coram Domino adducuntur ut adorent salutentque eum, et cum adorationem perfecerint, in istam mansionem introducuntur et accipiunt mercedem aeternam, sicut dixit David: ‘ Mansueti hereditabunt terram ’ [7]; et hic manent in saecula saeculorum. Et etiam dixit: ‘ Serva mansuetudinem et videbis iustitiam ’ [8]; item: ‘ In lenitate accepisti me et confirmasti coram te in saecula ’ [9].

Et deinde, cum regionem istius fluminis revelaret mihi, vidi in ulteriore ripa illius homines dispersos ubi erat porta paradisi arboresque magnae quae aspectui hominum fructus multos habere videbantur. Et cum esurirent hi homines, quae- p. 66.
rebant arborum colligere fructus et cum sese inclinaret arbor, homines ipsi sese inclinabant usquedum venirent ad terram, et

[1] LUC., XII, 10; MATTH., XII, 32. — [2] LUC., XIV, 11. — [3] MATTH., V, 3-4. — [4] MATTH., X, 16. — [5] *Ps.* C, 5. — [6] MATTH., V, 22. — [7] *Ps.* XXXVI, 11. — [8] *Ps.* XXXVI, 37. — [9] *Ps.* XL, 13.

cum arbor sese elevaret, item homines sursum efferebantur usquedum ad moenia paradisi pervenirent, et fructibus arboris frustrabantur. Et cum haec vidissem ploravi amare valde et dixi: « Fili mi, quaenam sunt hae arbores, et quinam sunt isti homines? Hanc arborem dum adspicio, plenam fructibus mihi vidêtur, sed adspicio esurientes sitientesque hos homines, qui fructus eius manducare conantur, eis vero frustrantur. Cadunt cum arbore in terram cadente, et cum ea elevantur dum arbor sursum effertur; equidem haec cum video contristor ». Et respondit filius meus et dixit mihi: « Noli flere, mater mea, ego narrabo tibi mysterium horum hominum. Hi perfecti fuerunt in ieiunio et in oratione, in patientia et puritate carnis suae; sed esurientes pane suo non cibaverunt, nec sitientes potaverunt de poculo suo, nec nudos vestiverunt, nec peregrinum sub tecta domus suae habitare fecerunt, superbi et arrogantes fuerunt ». Et interrogavi filium meum et dixi ei: « An haec mandata quoque condemnabunt eos ». Et respondit mihi et dixit: « Nihil maius est quam haec mandata, et inter omnia peccata superbia et insolentia maxima sunt, propter enim insolentiam et superbiam cecidit diabolus ». Respondi et dixi ei: « An superbia et arrogantia eorum et constrictio manuum *avaritia* prohibuerunt eos ingredi paradisum voluptatis? » Et dixit mihi: « Superbia et avaritia et insolentia sunt principium peccati ». Et respondi dixique ei: « Usquedum hi cruciabuntur? » Et respondit dixitque mihi: « Usquedum veniam iterum in gloria mea cum omnibus sanctis meis, hi vero stabunt ad hanc portam, at cum has pertransibo,
p. 67. iusti tunc cum videbunt illos intercedent pro eis, et ego cum horum recordatus fuero permittam ut intrent in regnum caelorum ». Et haec verba cum audivissem ex ore gloriosо dilecti filii mei, gratias dedi ei.

Deduxit me deinde in regionem illius fluminis, fecit me transire per navem auream et introduxit me in domum quandam candidam et lucidam, cuius lux fulgebat septuplo magis quam sol et luna. Et ibi vidi lectos aureos et stragula pretiosa et calceamenta. Et interrogavi filium meum et dixi: « Quorum est haec habitatio? » et respondit mihi: « Haec vero est habitatio hominum et feminarum: hominis qui cum aliena femina comm non habuit et feminae quae virum alienum non cognovit, nam in puritate virginitatem suam servaverunt sicut

dixit David propheta: ‘ Beatus es et bene tibi erit, uxor tua sicut vitis iucunda in lateribus domus tuae ’ [1]; et etiam Matthaeus evangelista: ‘ Beati mundo corde, quoniam ipsi possidebunt terram et Deum videbunt ’ [2]; et etiam: ‘ Quod Deus coniunxit homo non separet, iam non sunt duo sed una caro ’ [3]; et etiam dixit Marcus evangelista: ‘ Beati qui filios habent et sunt tanquam qui non habent uxores ’ [4]. Cum autem exeunt e saeculo adducuntur coram Domino ut adorent salutentque eum, et expleta adoratione huc introducuntur in istam mansionem, et eis pro mercede dantur hi lecti aurei cum stragulis et calceamentis.

Et deinde adscendere me fecit in regionem istius fluminis, et illic vidi flumen olei et butyri et civitatem lucidam magis quam sol et luna septuplo; et etiam vidi coronas resplendentes quarum numerus erat mille milium myriadum milium et mille quadringinta quadraginta quattuor milia milium [5]. Et interro- p. 68.
gavi filium meum et dixi ei: « Quorum sunt haec civitas et hae coronae? » Respondit filius meus et dixit: « Haec civitas et hae coronae sunt martyrum qui saeculum praeteriens spreverunt et contempserunt, illorum quorum capita amputata sunt; vitamque suam morti tradiderunt dum propellebantur de civitate in civitatem, esurientes et sitientes propter iustitiam, adimplentes quod dicitur in evangelio: ‘ Beati qui esuriunt et sitiunt propter iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur; beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum ’ [6]; et etiam: ‘ Eritis odio omnibus propter nomen meum, at capillus de capite vestro non peribit et in patientia vestra possidebitis animas vestras ’ [7]. Et haec civitas non est civitas et merces martyrum solum, sed apostoli hic obumbrantur et martyres, et apostoli cum septuaginta duobus discipulis eorum et quingentis sociis eorum, et coetus primogenitorum et principes et reges eorum: Petrus, petra fidei, et Paulus, lingua unguenti, sicut dicitur in evangelio: ‘ Quî docuerit feceritque, magnus vocabitur in regno caelorum ’ [8] ». Et cum loquerer cum filio meo venerunt ad me omnes exercitus angelorum et sanctorum, coetus laetantium et martyrum

[1] *Ps.* CXXVII, 2-3. — [2] MATTH., V, 4 et 8. — [3] MATTH., XIX, 6. — [4] I *Cor.*, VII, 29. — [5] *Sic.* — [6] MATTH., V, 6-10. — [7] LUC. XXI, 17-19. — [8] MATTH., V, 19.

qui salutaverunt me dicentes: « Salus tibi, o Maria, coenaculum sanctitatis Domini; beati oculi nostri qui te viderunt ».

Et deinde fecit me adscendere in regionem istius fluminis, et ibi vidi ducenties decem milia domorum lucentium, quarum unaquaeque mensuram angeli aequabat. Et interrogavi filium meum dixique illi: « Quorum sunt istae domus et mansiones? » Et respondit mihi dixitque: « Hae sunt mansiones et habitationes patriarcharum et metropolitarum, episcoporum et presbyterorum, diaconorum, lectorum et cantorum ». Et interrogavi eum et dixi: « Intrabuntne omnes in eas? » Respondit mihi: « Non omnes intrabunt, sed pauci sunt qui ibunt in eas. Nonne audivisti quod ego dixi in evangelio: 'Non omnes qui dicunt Domine, Domine, intrabunt in regnum caelorum, sed qui facit
p. 69. voluntatem Patris mei qui in caelis est; multi enim dicent mihi in illa die: Domine, in nomine tuo prophetavimus, in nomine tuo prodigia multa fecimus, in nomine tuo daemonia eiecimus. At ego dicam illis: Nescio vos: discedite a me, vos omnes operatores iniquitatis' [1]. Et qui praepositi fuerunt ecclesiae non omnes intrabunt in hanc domum ». Et dixi ei: « Quinam sunt qui intrabunt in eam? » Respondit et dixit mihi: « Hi intrabunt in hanc domum qui sese mundaverunt ab impuritate; qui mulierem alius non cognovit; qui non habuit superbiam nec insolentiam; qui non vindictam, nec ultionem, nec invidiam habuit; qui non ultionis cupiditatem, nec malitiam consedere fecerunt in corde suo; qui non superbi, nec insolentes, nec immites, nec ebriosi, nec iracundi fuerunt; qui cultores idolorum non fuerunt, qui proximo non fecerunt quod pro semetipsis odio habuerunt, qui non iuraverunt cum mendacio, nec officia cupierunt, nec coronas terrenas dilexerunt, nec laudari apud reges amaverunt; [qui] mane venire ad ecclesiam non cessaverunt, qui non carnem meam et sanguinem meum nisi cum puritate tetigerunt, qui ecclesiam aestimaverunt sicut patrem et matrem, qui mysterium sanctum meum non profanaverunt: hi has portas intrabunt. De his vero qui non intrabunt ego dicam tibi: qui uxorem alius inierunt, qui sese occidit, qui periuravit cum mendacio, qui vindictam consedere fecit in corde suo, superbus et insolens, transgressor legis, frivolus,

[1] Matth., vii, 21-23.

impudicus, impurus; qui idola coluit et adoravit deos et contempsit domum Domini: hi sunt qui hanc portam non intrabunt, sicut ait Paulus: 'Omnis impudicus et impurus, qui idola coluit, requiem Domini non videbunt neque in eam intrabunt' [1]. Et etiam dicitur in evangelio: 'Intrate per angustam portam, quia angusta porta et arcta via ducit ad vitam, et pauci sunt qui intrant per eam; quia lata et valde spatiosa est porta quae ducit ad perditionem et mortem, et multi sunt qui intrant p. 70.
per eam et inveniunt eam' [2]; et etiam dixit: 'Multi enim sunt vocati, pauci vero electi' [3] ».

Haec cum dixisset sumpsit me et fecit me adscendere in Ierusalem caelestem, et ibi vidi templum cum tentoriis lucidis, et super illud igneum velamen alligatum erat, et ibi vidi hominem quendam cuius facies magis quam sol resplendescebat. Chordas citharae et lyrae tenebat, stans ad portas Ierusalem, et cum pulsaret ille citharam et lyram vacillabant fundamenta paradisi. Et cum ingressi fuissemus in atrium paradisi et huius domus, veniens ille ad me et amplectens collum meum, os meum osculatus est ore suo dicens: « Benedicta es tu, o Maria, et benedictus fructus ventris tui, beati oculi mei qui te viderunt ». Et interrogavi filium meum, et dixi ei: « Quis est qui me salutavit? » Et respondit dixitque: « David est nomen huius hominis qui te salutavit ». Et audivi illum dicentem: « Alleluia! » et cum sic dixisset clamaverunt omnes sancti pariter dicentes: « Alleluia! » Et interrogavi filium meum dilectum et dixi: « Omnis *laus* perficiturne in verbo David? » Et dixit mihi: « Non perficitur laus caeli et terrae in verbo David ». Et interrogavi eum et dixi: « Quid significat Alleluia? » Respondit et dixit mihi rationem huius *vocis*. Et interrogavi dixique ei: « Si quis dixerit Alleluia! eritne illi praemio? » Et respondit et dixit mihi: « Si clamaverit cum superbia, non erit ei praemio; si clamaverit in puritate, sine nequitia, erit canticum eius cum exercitu angelorum ». Et interrogavi et dixi: « Si vero aegrotus aut afflictus hoc dixerit in somno eritne illi peccato? » Respondit et dixit mihi: « Si vero aegrotus et afflictus dixerit in somno Alleluia! non erit illi peccato ». Et haec est explicatio vocis huius. Alleluia Patri, alleluia Filio, alleluia Spiritui sancto, quia una simul est essentia eorum in saecula saeculorum. Amen.

[1] I *Cor.*, vi, 10. — [2] Matth., vii, 13-14. — [3] Matth., xx, 16.

p. 71. Et deinde fecit me adscendere in regionem illius fluminis et
introduxit me in civitatem Domini, et ostendit mihi civitatem
sicut rosa constructam, cuius nec fines usque ad terminos suos
revelatae sunt, nec fundationes cognoscuntur; eius claritas
magis quam sol septuplo resplendescebat, et in ea congrega-
bantur vestimenta aurea et argentea et monilia aurea cum
coronis aureis. Et interrogavi filium meum et dixi illi: « Quo-
rum est ista mansio? » Respondit et dixit mihi: « Eorum est
qui spreverunt contempseruntque hoc saeculum praeteriens, mo-
nachorum qui reliquerunt omnes divitias et voluptates; nemo
hanc regionem et mansionem cognoscit, nec angeli nec ar-
changeli neque sacerdotes in eam intrabunt, sed ad portas
tantum incensum offerent. Nemo intravit in eam nisi ego et
Pater et Paracletus; tu vero ingredere, consede interius; sit
tibi civitas tua; et quadraginta angeli tibi servient ». Et inter-
rogavi filium meum dixique illi: « Intrabuntne omnes monachi
in istam mansionem? » Respondit mihi et dixit: « Non omnes
intrabunt, sed hi tantum qui sese mundaverunt ab impuritate,
qui spreverunt contempseruntque hoc saeculum praeteriens; qui
non dilexerunt pecunias nec honores nec divitias nec cupiditates
omnes huius saeculi, nec delicias, nec voluptates, nec oblecta-
menta; qui non iracundus fuit nec vinolentus, qui non super-
biam nec arrogantiam habuit, qui non calumniator nec ultionis
studiosus nec dissolutus fuit, qui horarum preces sive diurnas
sive nocturnas non omisit. Nonne audivisti quod dicit liber [re-
gularum]: 'Nihil peius est pro monacho quam orationes omit-
tere'; et etiam dixit: 'Monacho diviti et datori praeferendus
est monachus pauper et sine pecunia'. Et etiam dicit Paulus:
'Mihi mortuus est mundus et ego mortuus sum mundo'[1]; et
item: 'Nobis vero civitas nostra in caelis est'[2]. Monachus
autem qui fecerit omnia quae dixi tibi hanc portam pertransi-
bit ». Et interrogavi filium meum: « Ipsi ne sunt qui non intra-
bunt per hanc portam? » Respondit mihi dixitque: « Qui per eam
p. 72. non intrabunt ego tibi indicabo: Superbi, insolentes, calumnia-
tores, murmurantes, delirantes, conviciatores, perversi, odiosi,
mendaces, dolosi, pigri, contemptores, irrisores, seductores, im-
pudici, immundi, periurantes, et pastores qui suis ovibus odio

[1] *Gal.*, VI, 14. — [2] *Philip.*, III, 20.

sunt propter eorum impudicitiam, et oves qui suos pastores odio habent propter amorem mulierum eorum, incantatores qui occidunt lingua iniquitatis, fraudulenter agentes, qui iurant, qui colunt idola, qui adorant divinisque honoribus afficiunt sculptilia et statuas deorum, qui conscendunt equos et mulos, qui cum ostentatione divitias suas exhibent et pauperes affligunt, amatores somni et munerum, amatores divitiarum et amatores voluptatum et deliciarum saeculi; qui fornicati sunt cum mulieribus postquam susceperunt vestem sanctam monasticam; qui versati sunt in ebrietate, qui proximum suum odio habuerunt propter invidiam, qui sine moderatione comederunt, qui sine temperantia biberunt, qui non amaverunt ieiunium, amantes somni et contemptores ieiunii et orationis, qui ad manducandum et bibendum excusatione usi sunt, cum dicerent: festum est hodie; hi sunt qui non intrabunt per istam portam ». Et allocutus est me filius meus mihique dixit: « Veni etiam usque ad occidens, ego tibi ostendam ubi sedent animae peccatorum et impiorum ».

Et assumpsit me deduxitque in occidentem, et usque ad fines caeli et terrae me perduxit. Et ibi vidi planitiem nil habens lucis, et flumen ignis illam implebat. Et interrogavi filium meum et dixi: « Quaenam est significatio istius fluminis, et quinam sunt sedentes prope istud? » Respondit mihi et dixit: « Eorum qui non omnino frigidi sunt hoc flumen est civitas, qui nec omnino frigidi nec omnino calidi sunt ». Et ibi vidi magnam multitudinem hominum et feminarum et iuvenum. Quosdam autem vidi immersos usque ad os, quosdam usque ad pectus, quosdam usque ad collum, quosdam usque ad labia
et quosdam usque ad caput. Cum autem hos vidissem, inter- p. 73.
rogavi filium meum et dixi ei: « Quinam sunt isti homines? » et respondit mihi: « Qui usque ad pectus et genua immersi, tempore orationis segnes fuerunt et non quales dixi tibi; in medio diei et noctis omnes laudabant Dominum, mane gratias agebant Domino propter noctem quae discessit et propter diem qui advenit, sed hora diei tertia, sexta et nona, et tempore solis cadentis, preces praetermiserunt, et hoc est supplicium eorum usque in saecula. Qui usque ad umbilicum immersi, cum mulieribus fornicati sunt in ecclesia; qui usque ad os, verba otiosa in ecclesia dixerunt, qui usque ad pectus, post receptionem eu-

charistiae locuti sunt antequam aliquid refrigerantis vel panis vel aquae sumpsissent; qui usque ad labias immersi, confabulati sunt in ecclesia cum proximo suo, omni tempore; qui usque ad caput immersi, in proximos suos in ecclesia oculis nictaverunt ».

Et deinde vidi abyssum magnam in qua animae aliae super alias positae quinquaginta milia cubitorum non attingebant. Et interrogavi filium meum et dixi: « Quorum est hoc supplicium? » Et respondit mihi: « Eorum qui cum uxore patris sui fornicati sunt, aut cum filia sua aut cum amicis suis aut cum filia amicorum suorum. Eorum qui cum masculis sicut cum femina fornicati sunt, qui cum uxore filiorum suorum aut cum uxore filii sororis eorum fornicati sunt, qui cum puerpera aut menstruata fornicati sunt, qui cum muliere abiecta aut mahummedana fornicati sunt aut cum muliere Iudaea; qui cum bestiis aut equis, aut mulis, aut asinis, aut camelis fornicati sunt, aut cum terra ab eis efformata. Et uxor sacerdotis si fornicata cum alio homine, et sacerdotes si fornicati cum alia muliere: hi
p. 74. descendent in istam abyssum. Et hoc est supplicium eorum usque in aeternum ».

Et deinde vidi aliud supplicium et hominem quendam grandaevum adspexi, quem portabant quattuor perversi angeli tenebrarum. Hi ad hoc flumen ignis adduxerunt illum et posuerunt in sede ignea, et dum flumen ignis vorabat eum usque ad pectus eius, cum telis igneis transfigebant eum et ignem in eum vasis infundebant. Et cum hoc vidissem ploravi amare gemuique multum et dixi filio meo: « Quid est nomen illius hominis? » Et dixit mihi: « Papas est nomen eius » et dixi: Quidnam est peccatum hominis cuius terribile est supplicium? » Et respondit dixitque mihi: « Secundum legem meam non ambulavit, mandata mea non adimplevit, mysteria sancta mea in puritate non tractavit, sacrificium immaculatum non obtulit, in impudicitia et profanatione dies suos transivit, peregrinum non excepit, pauperes et miseros non dilexit, primitias solus manducavit, esurientes non cibavit nec sitientem potavit. Et hoc est supplicium eius usque in aeternum ».

Et iterum in regione istius abyssi vidi hominem quem angeli tenebrarum portabant, et hic super faciem suam ceciderat, ita ut sanguis e naso eius proflueret. Iniecerunt illum in

hoc flumen quod voravit eum usque ad pectus, et cum clamaret: 'Miserere mei'; nemo illi misericordiam faciebat. Et interrogavi filium meum dixique illi: « Quodnam est peccatum huius hominis et quodnam est nomen eius? » Et dixit mihi: « Nomen eius 'diaconus' est, et peccata eius ego narrabo tibi. Secundum mandata mea non ambulavit, in ecclesia mea sine puritate ministravit, sanguinem meum pretiosum immaculatus non sumpsit, in sanctuario cum reverentia non ambulavit, pane suo esurientes non cibavit, potum suum sitienti non propinavit, pauperes et qui in deserto moriuntur non linteis involvit nec sepelivit. Et hoc est supplicium eius usque in aeternum ».

Et vidi in regione istius fluminis hominem magnum et terribilem quem angeli tenebrarum accipiebant et in flumen ignis usque ad pectus iniiciebant; cum lapidibus igneis percutiebant faciem eius et cum virgis fulmineis eum verberabant. Hunc vero p. 75.
cum viderem gemui ploravique multum, et interrogavi filium meum et dixi: « Quodnam est nomen eius? » respondit mihi: « 'Patriarcha' est nomen eius, et peccata eius ego narrabo tibi. Fidem Trinitatis non recte stabilivit, omnia quae ei mandaveram non observavit; non secundum legem in munere patriarchatus constitutus fuit. Et hoc est supplicium eius usque in aeternum ».

Et postea, in regione eiusdem fluminis hominem quendam vidi ad flumen ignis adductum, quem mare igneum tangere faciebant, et simul verberabant et dicebant: « Iam frangebas panem, cur esuris; iam flumen hauriebas, cur nunc sitis; iam victimas mactabas, cur carne earum non satiatus es? » Et interrogavi filium meum et dixi: « Quodnam est nomen huius hominis et quodnam est peccatum eius? » Respondit filius meus: « 'Sacerdos' est nomen eius; eius vero peccata multa ego narrabo tibi. Cum sacerdos esset, hic nec secundum legem meam, nec secundum officium sacerdotii ambulavit, ab impuritate non sese mundavit, dies suos consumpsit in risu et lascivia et nugis. Et hoc est supplicium eius usque in aeternum ».

Et rursum vidi hominem quem quattuor angeli tenebrarum ducebant, et percutiebant faciem eius cum virgis igneis et fulmineis; inclinabat autem faciem suam et immittebant eum in flumen quod vorabat eum usque ad pectus, et cum gladio ignis abscindebant linguam eius et cum novaculis ignis labia eius.

Et cum diceret: 'Miserere mei', nemo erat qui ei misericordiam faceret. Et cum haec vidissem ploravi multum et gemui valde, et interrogavi filium meum dixique ei: « Quodnam est nomen huius hominis? » Respondit et dixit mihi: « Nomen eius est 'diaconus' et peccatum eius ego dicam tibi. Secundum totam legem canonum quam ei imposueram non ambulavit; ad sacrificium meum cum puritate non cantavit; in pigritia, in risu, in impuritate permansit; in ecclesia dissolutus et insolens et superbus fuit. Et hoc est supplicium eius usque in aeternum ».

Et etiam vidi homines quorum non erat numerus, sicut pulverem [p. 76.] dispersos in medio ignis, et columnis ignis suspensos. Et interrogavi filium meum et dixi: « Quinam sunt hi homines? » Dixit mihi: « Hi sunt qui sculptilia et idola, solem, lunam et stellas adoraverunt. Et hoc est supplicium eorum in aeternum ».

Et etiam vidi in flumine ignis alios homines quos tineae igneae devorabant; et interrogavi filium meum et dixi ei: « Quinam sunt hi homines? » Et respondit mihi: « Hi sunt qui aurum coacervaverunt, et omnes divites qui pauperes afflixerunt, et qui fiduciam suam posuerunt in divitiis suis, sicut dixit Paulus: 'Qui volunt divites fieri incidunt in magnum peccatum' [1]. Et hoc est supplicium eorum in aeternum ».

Et postea vidi virgines tenebris vestitas, collo ligatas cum catenis igneis, quas ad flumen ignis trahebant. Et interrogavi filium meum et dixi: « Quaenam sunt istae? » Et respondit mihi dicens: « Antequam patres et matres eorum coniungerent eas secundum leges matrimonii, illae egressae sunt in deserto et in via, et virginitatem suam perdiderunt. Et hoc est supplicium earum usque in aeternum ».

Et rursum vidi alios homines in igne suspensos: manus eorum cum catenis ignis et pedes eorum cum vinculis ignis et collum eorum cum funiculis ignis alligata sunt. Posuerant eos in tenebris, ubi erant fletus et stridor dentium. Et interrogavi filium meum eique dixi: « Quinam sunt hi homines? » Et respondit: « Hi sunt reges, duces et principes terrae: orphanos et viduas spoliaverunt; superbos et exaltatos in saeculo praetereunte se praebuerunt; in his quae nil eis prosunt sese glorificaverunt,

[1] I *Cor.*, VI, 9.

sicut dixit liber Sapientiae: 'Omnis conditio saeculi vanitas est' [1]. Et hoc est supplicium opulentium terrae ».

Et etiam vidi alios homines in medio flammarum suspensos, serpentes ignis vexabant vorabantque eos, canes ignis mordebant eos, leones ignis confringebant crura eorum et pardi ignis guttur eorum dilacerabant. Et hoc cum viderem ploravi amare et interrogavi filium meum: « Quinam sunt hi? » Respondit mihi dixitque: « Hae sunt moniales quae praeter legem [p. 77.] canonum egressae sunt; postquam veste sancta monastica se vestierant virginitatem suam vitiaverunt; ei qui mendacii non convincitur, mentiti sunt, eum qui non est odibilis spreverunt. Saepe postquam conceperant filios suos in sinu occiderunt, sanguinem eorum super terram fuderunt, aut postquam parturierant filios suos occiderunt aut patres eorum manibus suis venenum matribus dederunt. Hi autem pueri coram throno patris mei clamant et dicunt: 'Domine, non adolescere nobis permiserunt ad bonum aut malum faciendum; partem dimidiam nostri canibus dederunt et alteram partem porcis proiecerunt'. Et cum verba horum puerorum audivissemus, ego cum Patre meo et Paracleto, contristati sumus et *angelum* Temliaqos praecepi in pulchra mansione deponere illos. At pro patribus et matribus illorum, hoc est supplicium usque in aeternum ». Et interrogavi filium meum et dixi: « Si poenitentiam egerint nonne misereberis eis? » Respondit mihi: « Certe dico tibi, si cum corde confidente poenitentiam egerint, condonabo eis; at si non agunt poenitentiam in timore cordis, non eis condonabo nec imminuam eorum supplicium. Pastores autem eorum, quia illos non castigaverunt, malum magnamque poenam patientur, et erit pars eorum cum Eli et cum Fola. Eli non castigavit filium suum, Fola vendidit filias suas pro bove, hi vero pastores filios suos vendiderunt pro parvo pabulo et potu praetereunte, et pariter similes facti sunt Esau qui ius primogeniturae vendidit pro pabulo; sicut dixit Paulus: 'Christo enim non serviunt, sed suo ventri' [2] ».

Et postea vidi suspensos quosdam columnis igneis quos flammae circumdabant commovebantque; fructus multi suaves et aqua pura coram oculis eorum aderant, et cum manducare

[1] Cf. *Eccle.*, I, 14. — [2] *Rom.*, XVI, 18.

fructus arboris bibereque aquam cupiebant, nihil horum deprehendebant, nihilque in os eorum intrabat. Et haec cum viderem moerens et tristis fui valde, et interrogavi filium meum p. 78. eique dixi: « Quinam sunt isti homines? » Respondit mihi: « Hi sunt qui ieiunium violaverunt et respuerunt, qui festinaverunt ad violationem ieiunii vel feria quarta vel sexta vel per quadragenarium ieiunium. Et hoc est supplicium eorum usque in aeternum ». Et interrogavi filium meum et dixi: « Si poenitentiam egerint, nonne misericordiam facies illis? » Respondit filius meus et dixit mihi: « Si per unum diem poenitentiam egerint, remissionem peccatorum obtinebunt ».

Et deinde vidi homines manus abcisos, quos flammae igneae circumdabant. Interrogavi filium meum et dixi: « Quinam sunt hi homines? » Et dixit: « Hi sunt qui chartas magicas scripserunt, et ex his fructus perceperunt; hoc est supplicium eorum usque in aeternum ».

Et deinde vidi homines flammis igneis circumdatos et frenis igneis frenatos. Et interrogavi filium meum et dixi: « Quinam sunt hi homines? » Et respondit mihi: « Hi sunt qui in proximos suos blasphemaverunt, et fratres suos contempserunt. Diabolus vero, cum blasphemasset in Adam, cecidit e throno suo et eversa est gloria eius; ita erit ei qui in proximum suum blasphemaverit ».

Et postea vidi foveam sulphure et pice plenam; nulla lux in illa erat, sed plena erat tenebris; et ibi vidi quosdam manus ac pedes amputatos. Et interrogavi filium meum dixique ei: « Quinam sunt isti homines? » Et respondit mihi dixitque: « Hi mahummedani sunt qui in nativitatem meam ex te non credunt, neque in baptismum meum, neque in mortem, neque in resurrectionem, neque in adscensionem meam credunt, neque credunt esse Patrem cum Filio et Spiritu sancto; et hoc est supplicium eorum ».

Et deinde vidi alios homines quorum os et nares sulphur et ignem vomebant, volumine igneo collo eorum suspenso. Et interrogavi filium meum eique dixi: « Quinam sunt hi homines? » Et dixit: « Hi sunt sacerdotes, magistri psalmorum, qui die dominica cantus laudationis omiserunt; et hoc est supplicium eorum usque in aeternum ».

Et etiam vidi hominem quem quattuor angeli tenebrarum

crucifigebant, pedes eius sursum et caput infra. Cum funiculis p. 79. igneis tenebant pedes eius et cum lanceis igneis faciem eius radebant; et postquam vincula eius solverant in mare ignis cecidit. Interrogavi filium meum et dixi: « Quodnam est nomen huius hominis? » Dixit mihi: « 'Sacerdos' est nomen eius; et peccatum eius ego tibi narrabo. Die dominica tus et oblationes non obtulit, dissolutus et superbus fuit ». Interrogavi filium meum et dixi: « Quoties sacrificium tibi vis offerri, fili mi? » Dixit mihi: « Die dominica mane, et sabbato circa tertiam horam diei; non audisti quod dixi in Evangelio: 'Non veni solvere legem aut prophetas sed adimplere '[1], et sabbatum ego non abrogavi nisi unica die, alia vero sabbata honoravi et haec aequalia habui diei dominicae ».

Et iterum vidi hominem quem cum sagittis igneis transfigebant. Et interrogavi filium meum et dixi: « Quodnam est nomen huius hominis? » Dixit mihi: « 'Diaconus' est nomen huius; et peccatum eius ego narrabo tibi: quia die dominica non prompte obtulit sacrificium, hoc est supplicium eius usque in aeternum ».

Et etiam vidi in regione fluminis foveam ignis effossam, et in ea vidi homines et feminas usque ad collum immersos. Serpentes et viperae igneae in omnibus membris eorum erant, et novem angeli tenebrarum spiculis igneis eos perfodiebant. Haec cum viderem ploravi amare gemuique multum, et interrogavi filium meum eique dixi: « Quinam sunt hi homines? » Et dixit mihi: « Hi sunt monachi qui vestigia mea in via mea non secuti sunt, in lascivia dies suos transierunt; et hoc est supplicium eorum usque in aeternum ».

Et etiam vidi gehennam magnam septem sigillis signatam; tunc clamavit filius meus et dixit: « Aperite, ianitores gehennae, ut mater mea Maria videat ». Et cum apertae essent portae et viderem, timui et tremui et dixi filio meo: « Quodnam est nomen huius fluminis? ». Et dixit mihi: « Gehenna est nomen eius ». Et dixi: « Quinam sunt qui in ea manent? » Respondit: « Remanent in ea qui negaverunt me esse filium Dei; et hoc est supplicium eorum usque in aeternum ». Et cum hi omnes damnati me viderent clamaverunt, et dixerunt: « Benedicta es tu,

p. 80.

[1] Matth., v, 17.

o Maria; benedictus fructus ventris tui, et beati oculi nostri qui te viderunt ». Et allocuta sum filium meum et dixi: « Parce mea caussa, dilecte mi, parce; nullus homo est sine peccato ». Respondit filius meus et dixit: « Misericors ero tibi a vesperis feriae sextae usque ad matutinum feriae secundae ». Et cum haec audissivem gratias egi filio meo, et damnati etiam laudibus eum celebrarunt.

O Iohannes, scito et perspice haec omnia quae narravi tibi; noli relinquere hunc librum in loco impuro; quo fuerit hic liber non accedant feminae quae mox parturierunt aut quae menstruis laborant, non accedat mulier fornicatrix aut fornicator vir; quo fuerit hic liber non sedeat homo moribus malis; quid prodest fornicatrici si ecclesiam adierit, quid fornicatori?

Audi, o Iohannes, quod dico tibi: iube ut commemorationem faciant quater: die vigesima prima mensis ṭer, die vigesima prima mensis sanē, die decima sexta mensis naḫassē, et die decima sexta mensis yakātit, qua mihi testamentum datum fuit; et, si possibile fuerit, uniuscuiusque mensis die vigesima prima faciant item hanc commemorationem.

Omnibus qui commemorationem meam fecerint, adiutrix ero in diebus afflictionis. Qui vero scribere fecerit vel scripserit hanc visionem, qui eam cum fide legerit vel cum reverentia audierit, ego nomen eius scribam in libro vitae in saecula saeculorum, amen.

Scripta est visio Maria dominae nostrae quam ei revelavit filius eius; ei qui hanc visionem scripsit, ei qui iussit illam scribi, ei qui eam recitaverit aut explanaverit, ei qui lectionem eius audierit, omnibus pariter sit misericors Dominus in regno caelorum, propter corpus et sanguinem suum, in saecula saeculorum, amen.
